F 728

Pol. 8. II. 1140

D. 4.

# SPECIMEN
# HISTORIÆ POLONÆ CRITICÆ

conſtans Animadverſionibus
in Hiſt. LUDOVICI Polon. & Hung. Regis
ab Auguſtino KOŁUDZKI. deſcriptam,
Quibus, ab Eo ibidem inſerta & vindicata, à Claſſicis verò aliis
Scriptoribus commemorata Narratio de violentâ Statuum
Reip. Confæderatione; vulgò ROKOSZ ad Gliniany A.
1381. 26. Aug. XII Procerum Polonorum decapitatione
ſolutâ, indiſſolubilibus argumentis refellitur, & merum
nugamentum pronuntiatur.

à

JOSEPHO. ANDREA. ZAŁUSKI.

*Supr. Regni Referendario, Abb. Premet. Archid. in Cath. Ploc. Pulc. Can. Crac. Præp. Inſulato Kodnenſi.*

Anno MDCCXXXIII.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
2599

JUDICIUM ex certâ ſcientiâ, non ex multitudine faciendum eſt. PLATO.

Et vivis præferre facem, & revocare ſepultos
Hiſtoria ex Tumulo, ut ſacra Tuba poteſt.

Pol. 8.II. 1140
K.

# SERENISSIMO
ac
# POTENTISSIMO PRINCIPI ac DOMINO
# DOMINO
# STANISLAO I.

Regi Poloniarum Auguſtiſſimo, Magno Duci
Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ,
Volhyniæ, Kioviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ,
Severiæ, Czernichoviæque
Patri Patriæ Clementiſſimo
DOMINO DOMINO ſuo Beneficentiſſimo.

Specimen hoc enucleatæ veritatis hiſtoricæ
ſacrum eſſe vult
Joſephus Andreas Zaluski,
*Refer: Regni.*

# SERENISSIME ac POTENTISSIME
# DOMINE,
# DOMINE CLEMENTISSIME

Ludovici I. Regis Poloniæ hiſtoriam ab erroribus liberatam, cuinam juſtius dicare queam quam Ejus Succeſſori, TIBI nempe Regum Optime, felici Galliarum Regis Ludovici XV. Socero. Cuinam circa ipſa Regiminis hujus primordia, primitias has laboris critici, veritatem factorum detegentis, convenientius adſcribere poſſim, quam *Majeſtati Veſtræ Regiæ*, quæ ſolis inſtar radiantis, præſentia ſua, & adventu in patriam auſpicatiſſimo, diſpulit umbras animorum, & conſiliorum caliginem indies in Campo Electionis creſcentem quam feliciſſime diſcuſſit, ac Deo cauſam juſtam non deſerente ulterius adhuc ita diſcutiet, ut fidelis patria junctis fatebitur votis.

SaLVs PrInCIpIs RegnI NoſtrI à Deo retrIbVtI nobIs SVpreMa LeX eſt.

Lætabundo *Majeſtatem Veſtram* Lechia excipit brachio in ſinum ſuum.

Re-

Reverſus es *Rex Sereniſſime*, ac protinus ut in propria veniſti, illico exultans Polonia *Majeſt. Veſtram* uti Suum Principem, uti Piaſtum, uti Patrem Patriæ veneratur. Exultet terra Regiusque hic adventus & communis applauſus *Electoris Populi* documento ſit poſteris Curam Patriæ Superis adhuc cordi eſſe.

Primislaus Rex Poloniæ eo olim in ſigillo ſuo uſus eſt epiphonemate *Reddidit ipſe ſuis victricia Signa Polonis!* quid vetat ex nomine *Sereniſſimi* & Voce *Stanislaus* id augurari, quod transjectæ Ejusdem indicant literæ *Inſtat Salus!*

Addi deberent piis hiſce votis *Majeſtatis Veſtræ* encomia, at his condigne ediſſerendis cum me imparem ſentiam, liceat mihi pace *Majeſtatis Veſtræ*, Patrui mei (a) Andreæ ZALUSCII verba, vatidico certe ſpiritu jam ab anno 1696 dignitatem virtutesque *Regiæ Maj. Veſtræ* penicillo quaſi adumbrantia perquam ſubmiſſe hic inſerere, ut neminem fugiat, *Majeſtatem Veſtram* ab ineunte jam ætate omnium oculos in ſe convertiſſe. Is vero idipſum his teſtatur verbis.

„*Stanislaus Leſzczynski Capitaneus Odolanovien-*
„*ſis, unicus Majoris Poloniæ Generalis Filius, De-*
*liciæ*

(a) Epiſtolarum Hiſtorico Familiar. T. 2. p. 82. & 335.

„ *liciæ Generis Humani, Decus Poloni, Patriæ commu-*
„ *nis amor vocatur. Ponendus ſemel in ſuperbiam noſtri*
„ *ſæculi, gaudium univerſæ plebis, nam videre EVM*
„ *ſine amore, audire ſine admiratione nemo poteſt.*
„ *Virtutis privilegio ætatis limites transgreſſus, parem*
„ *Natalibus ſortitus indolem, nihil in tenerâ ætate te-*
„ *nerum, nihil puer immaturum exhibuit, omnia in EO*
„ *ſumma, Genus, Genius, Ingenium, Virtus, ſpes om-*
„ *nium & expectatio. Prævenit votorum tempora,*
„ *ſemper enim pollicetur majora, cum pro ætate maxima*
„ *exhibeat, & ſuprema laudum merito ſibi vendicat, &*
„ *ne quid ætati deſit præoccupat Virtute. Humanitas*
„ *in EO tanta elucet, ut ad hanc unam virtutem, genu-*
„ *iſſe EVM videatur natura, ſtudium exercuiſſè,*
„ *felicitas ſervaſſe.*

Album adjiciet calculum effato huic ſera poſteritas, mirabitur in dies magis magisq; *Regiæ Majeſtatis Veſtræ* virtutes Orbis, & omnis populus deprædicabit Clementiam & Juſtitiam Regis. Ego vota votis, preces precibus quoad vixero addere non intermittam, proſtrato corde Divinum implorans Numen.

Domine ſalvum fac Regem!

Scribeb. Gedani d. 8. Octobr. 1733.

# PRÆLOQUIUM.

NUnquam nos prudentiores, nunquam diligentiores eſſe debemus, quam quum res geſtas Æternitati ſacratas volumus. Quod haud obſcurè inter alios innuit Romanæ Eloquentiæ Parens, quando *primam Hiſtoriæ legem eſſe, ne quid veri non audeat; neve quid falſi dicere audeat*, præclarè ac ſapientiſſimè aſſerit. Nimirum, ne quid temerè credamus, ne quid imprudenter, aut ignoranter affirmemus, aut ſcientes mentiamur, ſed omnia, quæ fide hiſtorica referuntur, ad regulas της θειης ἀληθεῖας exigamus. Etenim quid eſt Hiſtoria? προφῆτις τῆς ἀληθεῖας, ſive *Sacerdos veritatis*. (Reſpondet *Diodorus* Siculus.) Quid veritas in Hiſtoria? *Anima atque* ὀφθαλμὸς ſeu *oculus*, teſte *Nicephoro*. Quò facit illud *Polybii*; *Ut animal luminibus ademptis prorsùs inutile redditur, ita, ſi veritatem ex hiſtoriâ tollas, quod ſupereſt illius, narratio eſt nullius uſus*. Sed hoc non obſtante, eo dementiæ proceſsêre ſuperioribus ſæculis, quam plurimi non è plebe tantum, ſed ex iis quoque, quibus datum erat præ aliis ſapere, ut quasvis triviales fabulas, non aliter ac Stoici, *cum ſuperſtitioſa ſollicitudine & miſeriâ crediderint*, & prætereà, ſtylo etiam in poſterorum gratiam complecti, ac typis mandare, voluerint, auſu prorſus illaudabili. Hinc

Cicero Lib. 2. de oratore c. 15.

Biblioth. L. 1.

Lib. 1. Hiſt.

In Except. L. 12. Hiſt. c. 5.

Cicero. l. 2. de Divinat.

tot fabularum portenta, tot commentorum jugera paſſim reperire licet, quæ hodiernum, ſi non majori, pari certe devotione, atque ipſum verbi Divini Codicem, ſimpliciores mirantur, exoſculanturque; non diſſimiles ſacrificulo illi; *cui perſuaſiſſimum erat, nihil omninò eſſe falſum, quod ſemel typis fuiſſet excuſum.* Ex multis, in exemplum hîc vocamus, tritas illas, aniles, & decantatas fabellas:

Melch. Canus l. 11 Locorum Comm. cap. penult.

(1.) *De Johanne Evangeliſta nondum mortuo:* quod Barradius ſcribit. Legimus quippè ſuperiori Sæculo, Agyrtam quendam, nomen iſtud mentitum; (quem Guilielmus *Poſtellus* vir multarum Linguarum, & nullorum Sacrorum, *Fratrem ſuum* appellavit) Toloſæ vivicomburio damnatum eſſe. Digna certe Impoſtore merces. Confer Gisbertum *Voetium.*

In Comment. Concordiæ Evangelicæ.

Parte 1 Diſpp. ſel. p. 1146.

(2.) *De Judæo immortali:* de quo creditur vulgò, eum, jam olim tempore Paſſionis Chriſti, vixiſſe, & calceariam Hieroſolymis exercuiſſe, nec procul à portâ, per quam Salvator ad montem Calvariæ deductus fuit, ſuas ædes habuiſſe, ac JESUM, cum ad januam ejus paululum quieſcere voluiſſet, abegiſſe atque protruſiſſe. Cui JESUS, irato vultu dixerit: *Ego quieſcam; tu vero perpetuò peregrinaberis.* Et hinc factum, ut nequè interdiu, nequè noctu hactenus quieverit.

J. S. Mitternacht de S. Joanne & Judæo ſuperſtite. G. Thilo in Meletemate Hiſt. de Judæo immortali.

(3.) *De ſeptem Dormientibus:* quos A. C. 251. metu horrendæ ſævitiæ, quæ in Chriſtianos exercebatur ex urbe Ephæſo, in montem cavum ſeceſſiſſe ferunt, ibi Annos amplius 169. dormiviſſe, & demum A. C. 446. ſolutos ſomno eſſe,

Idem. Math. Dreſſerus Tract. de diebus Feſtis ad 27. Jun. p. 351.

eſſe, ut habet *Cedrenus, Nicephorus, Hiſtoria lombardica*; quæ fabula habetur quoque in Alcorano, quam à Mahumede ridiculè narratam, & à Commentatoribus mire auctam, recenſet *Olearius*. Surat. 18. Roſenthal. p. 8.

(4.) *De Johannâ Papiſſa*: cujus Fabulæ aſſertores, ex ipsâ Romanâ Communione noſtrâ, præter Primipilos Martinum POLONUM; ac Marianum Scotum; (a) Italos 27. Gallos 17. Germanos 17. Belgos 9. Hiſpanos 6. Anglos 5. Hungarum 1. (quos inter aliquos Epiſcopos, imò nonnullos etiam Sanctos viros,) recenſet Petrus *Megerlinus*, quorum aliqui eam, *Johannam*, alii *Agnetem*, alii *Gelibertam*, alii *Iſabellam*, *Juttam*, *Dorotheam*, vocant; Aliqui *Anglicam*, alii *Moguntiâ* oriundam dicunt. Aliqui eam *Leonem IV.* alii *Leonem V.* alii *Martinum I.* alii *Benedictum III.* alii *Nicolaum I.* in Pontificatu excepiſſe narrant. Aliqui aſſerunt ſediſſe in Papatu unum annum & 5. menſes, alii ſeſqui-tres annos, alii 4. menſes tantum. Aliqui; *Johannis VII.* alii autem *Johannis VIII.* nomen geſſiſſe cominiſcuntur. (quorum prior revera natione Græcus fuit & 160. annis præceſſit, alter verò Romanus, & 20. annis ſecutus eſt tempora prætenſæ Papiſſæ.) Omnes fatentur, eam ſtuduiſſe *Athenis*, In Diſquiſit. Chronol. de Joanna Papiſſa.

A 2 cum

(a) Horum alter ad A. 1320. alter vero A. 1083. ſcribunt, & ita noſter Martinus POLONUS primus hujus Fabulæ ſcriptor, (ut paſſim perhibetur) dici non poteſt, cum eum Scotus præceſſerit. Conferatur Martini Poloni Chronicon, operâ Suffridi Petri multoties editum Marian. Scoti Chron. quod reperitur in Piſtorii Corpore Scriptorum Rerum Germanicarum.

cum tamen illo tempore Athenæ ſolo æquatæ fuiſſent ; teſte *Zonarâ* & *Cedreno:* Omnes garriant peperiſſe ; cum de Vaticano in Laterano tenderet, cum tamen arx Vaticana, nonniſi A. 1390. à SS. Pontificibus inhabitata fuerit ; & ut alias invincibiles contradictiones omittam ; ſufficiât allegâſſe ; *Anaſtaſium* Bibliothecarium ac *Adonem Viennenſem*, Teſtes oculatos, qui ſcribunt expreſsè, poſt obitum *Leonis IV.* dies 15. tantum, ſedem Romanam vacâſſe, immediatequè electum fuiſſe *Benedictum III.* quibus ſuccenturiantur, omnes & ſinguli illius ævi Pontificiæ Hiſtoriæ Scriptores, nempè *Luitprandus*, *Regino*, *Hermannus-Contractus*, *Lambertus*, *Otto Friſingenſis*, *Abbas Uſpergenſis*, *Leo Oſtienſis*, *Job Cremonenſis*, & alii.

Nec in Hiſtoriâ naturali deſunt plura figmenra, à naturæ ſcrutatoribus, jam dudum exploſa ; v. g. De *Aquila*, ſeniò confecta, in ignem, ſub concavo Lunæ evolante, ibique accenſam in mare procidente, atquè ſic ad juventutem redeunte. De *Pelicano* item, adunco roſtro pectus ſauciante, & pullis mortuis ſanguinem effluentem, quo recepto vivificentur, communicante ; nec non de *Phænice* ; tot annorum myriades vivente, & mortuam de cineribus ſuis reviviſcente.

vid. Sperling in Zoologiâ & Lauremb. iu acerra philologica.

His Fabellis vulgò receptis, & paſſim pro veris habitis, quod Hiſtoriam Polonam attinet, annumerari poteſt, *Motûs Glinianenſis*, (vulgò *Rokoſz*) contra Regem LUDOVICUM excitati, & in eo, XII. Senatorum Polonorum capite plexorum Narratiuncula, ab Anonymo quodam conficta,

a KOLUDZCIO verò vindicata, & defenſa. In cujus veritatem aliquantò diligentius inquirere, eamquè, licet altas in cunctorum Polonorum animis egerit radices, fidei ſubleſtiſſimæ arguere, inpræſentiarum ſedet animus. Antequam verò ad Refutationem hujus Fabellæ paremus acceſſum, eandem, prout, apud Auguſtinum *Koludzcium*, in ſuo Opere (Deſcriptionis vitarum Regum Polonorum, vulgari Idiomate, ſub titulo: *Thron oyczyſty, albo Palac wiecznośći, w krotkim ubraniu, Monarchow Xiązat y Krolow Polskich* edito, primum *Poſnaniæ* 1707. tum ibidem 1725. ac *Supraſlii* 1727;) nec non de Appendice, Memorialis Hiſtoriæ Pruſſiæ (*Pamiętnik albo Kronika Miſtrzow Pruskich*) ſub Nomine Nicolai *Chwalkovii* editi *Poſnaniæ* 1712. legitur, Tibi B. L. ex Polonico Idiomate in Latinum translatam ſiſtimus; hoc præcauto, quod voces, phraſesque integræ aliquot, licet in Koludciana Narratione non legantur, in omnibus tamen Manuſcriptis hujus Hiſtoriæ Exemplaribus, in antiquis Codicibus obviis; quotquot unquam mihi vidiſſe contigit, (vidi autem & variantes Lectiones duodeviginti Codicum inter ſe contuli) habentur, quas hic, pro majori diſtinctione, intra Parentheſin, ac Italico charactere exprimere cenſui. His te præmonitum B. L. volui; neſcius, ne eſſes. Vale, & nobiſcum recordare, primam Sapientiæ Legem eſſe:

NON TEMERE CREDERE.

DESCRI-

# DESCRIPTIO
Regiminis LUDOVICI Poloniæ & Hungariæ Regis, ab Auguſtino KOLUDZKI exarata, ubi Narratio, de

## MOTU CIVILI
â Regni Mareſchalco GRANOVIO ad Oppidum Glinianii Anno 1381. excitató, aſſeritur & vindicatur.

ANno Chriſti 1371. poſt fata Regis Poloniæ CASIMIRI Magni (Lokiełkonis alias Cubiralis ita dicti Filii) Jus Regni Poloniæ ad Principem extraneum ex Fæmineâ Linea oriundum, videlicet Regem Hungariæ Ludovicum, Caſimiri ex Sorore Nepotem devolutum fuit. Is quam improſperè Regno Poloniæ præfuerit, Annalium prodidere Scriptores. Quippe poſt peractam Coronationem, haud diu Cracoviæ degens, Gneſnam Majoris Poloniæ Urbem profectus eſt, ubi Stanislaus (ſeu volente Bielſcio Jaroslaus) *Bogoria*, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, magnificum in honorem Regis Thronum extrui curaverat, quem Rex ludibrio habens, conſcendere detrectavit, *ſemel* (inquit) *Sarmatiæ Regum Diadema capiti meo impoſitum eſt, quid alio Gneſnæ opus eſt?* exiſtimabat enim

eo

eo fine erectum fuiſſe Thronum, ut in Regem Majoris Poloniæ coronaretur. *Gneſnâ* contulit ſe *Poſnaniam*, ubi non diu moratus, Cracoviam verſus properavit, ad celebrandas *Hedvigis* Uxoris *Caſimiri* nuptias, quam *Ludovici* Mater *Eliſabeth*, Lignicenſi Duci *Venceslao* deſponderat; Hanc una cum Marito *Ludovicus*, *Cracoviâ* usque *Lignicium* juxta præſcriptum Teſtamenti *Caſimiri* Avunculi ſui, comitatus eſt; Nuptiarum Solennitatibus Uxoris *Caſimiri* celebratis, Rex *Ludovicus*, naturam moresque Polonorum, quibus aſſveſcere non poterat, averſari cæpit, Poloni viciſſim ingenia Hungarorum pernoſſe nequibant, acceſſit & hæc moleſtia, quod cum diverſo utebatur idiomate, res ſuas Poloni, apud Regem per Interpretes peragere cogebantur, moræ itaque diutius in Polonia degendi impatiens *Ludovicus* Rex in Hungariam profectus eſt, res cunctas in Polonia abſolutè gubernandas, penes Matrem ſuam *Eliſabetham* Reginam Hungariæ, Ducemque Opalienſem *Vladiſlaum* reliquendo. Bielski. Poſt diſceſſum Regis *Ludovici* è *Polonia* in *Hungariam*, Mater, Senatoribus Regiis (præſertim qui boni publici tenaciores erant) abrogatis, ad alios Regimini ſuo faventes, Senatoriam transferebat dignitatem, denique ii, qui pro libertate liberius diſſerebant, de eo conqueſti, quod poſtpoſitis Polonis, Reipublicæ Officia Extraneis Regiâ authoritate conferebantur. Bielski. Hinc factum eſt, ut paulò poſt animo elati *Hungari*, eximium Virum *Kmitam*, Præfectum *Craco-*

*vienſem*.

*vienſem*, innoxium è medio ſuſtulerunt, cujus cognati, licet
Bielski. de Hungaris ſumpſerant vindictam, tanti tamen non erat, ut crimen adæquaret. Cùm ita *Vladislaus* Dux *Opolienſis* in tali jam ſervitute Rempublicam conſtitutam eſſe animadverteret, in majorem ejus oppreſſionem Civitates, Caſtella, integrasque Poloniæ ditiones pro lubitu occupabat. Rebus in Polonia tantâ in perturbatione ſine Rege exiſtentibus evenit, ut vi pollens, Jure potior erat. Siquidem Juſtitia tum temporis Regno exulabat. Eâ quoque Reipublicæ infelici tempeſtate, duarum in Majori Polonia Illu-
Bielski. ſtrium Familiarum Proceres, nempe *Domaratus* Majoris Poloniæ Præfectus, & Nobiles ſtemma gentilitium *Natecz* dictum geſtantes, maximis inter ſe conceptis inimicitiis, bello civili plurimos amicorum trucidarunt, Bonaque Nobilitatis devaſtarunt, itaque querimoniis Nobilitatis Majoris Poloniæ permotus *Ludovicus*, Poſnanienſi Præfecturâ *Domaratum* privavit, & ad Majoris Poloniæ Procerum intercesſionem, Vincentium *Granovium* (uti Indigenam) dignitate Generalatûs Poſnanienſis ornavit. Sub idem tempus turbarum in Polonia, Lithvani cum *Tartaris Boruſſisque* ditiones Regni hoſtiliter infeſtabant, flammâ ferroque cuncta delebant. Hôc periculô *Ludovici* Regis Mater permota, è *Polonia* in *Hungariam* ſe contulit, eoque Filium ſuum permovit, ut quindecim Millia armatorum ex *Hungaria* ad ferendas Suppetias Polonis mitteret, quem exercitum,

Exer-

Exercituum Regni Dux Raphäel *Granovius*, Præfectus Sendomirienſis; cum numeroſo Commilite Polono, ad Oppidum *Sacz* præſtolabatur. Tantis copiis Rex ſub adventum ſuum bipartitò diviſis, *Polonum* contra *Tartaros* convertit Exercitum. Ipſe verò cum *Hungarico* milite caſtra contra Lithvanos verſus Civitatem *Betz* movit, & eorum duodecim millia fudit. Campiductor verò Poloniæ *Granovius*, collatis cum *Tartaris* ad *Barclaviam* signis, adeò acriter dimicavit, ut ſeptem millia proſternerentur. Ipſi quoque Imperatori cruenta hæc fuit victoria, quem inimicus tribus ictibus ſagittarum vulneraverat. Interea temporis *Boruſſi* direptâ *Cuiaviâ* ad ſuas rediêre ditiones. Quanquam verò Rex *Ludovicus* regendi formam in Polonia aliter ordinaverat, ſummam tamen rerum Judiciaque, Duci *Opolienſi* commiſit, additis Ei ad faciliorem rerum expeditionem Dobeslao de *Kurozwęki* Caſtellano Cracovienſi, tum Sendivogio de *Subino* stemmatis topor Palatino Lublinenſi ac Præfecto Cracovienſi. Quo peracto Rex in *Hungariam* demigravit, ubi comperit Matrem ſuam *Eliſabetham* ultimum *Budæ* obiiſſe diem. Cùm autem â prædictis Gubernatoribus Reſpublica Polona graviter affligeretur, qui non tam de bono publico ſolliciti erant, quàm propria quærebant commoda, præterea miſeram injuriis afficiebant Nobilitatem, Eamque quà poterant opprimebant, Poloni tam durum ſervitutis jugum diutiùs ferre haud valen-

Miechovita.

Miechovita.

valentes, miſerunt in *Hungariam* ad Regem, Viros gloriâ claros *Rytwianſcium* cum *Miąskowſcio* Eidem ſupplicando, ne peregrinis officia Reipublicæ conferret, neve eis Judicia committat Forenſia, ſiquidem Juris Publici penitus ignari id quod juſtum eſt, in cauſis decernere nequeunt. Qua Legatione licet Rex *Ludovicus* initio offendebatur, ne tamen ejusmodi poſtulatis abnuens aliquas in Polonia excitaret turbas, viſum eſt Ei, totum Negotium ad proxima differre Comitia, animum interea eo intendens, ut *Haliciensis*, *Camenecenſis*, *Sanocenſis*, *Premislienſis* Diſtrictus â Regno Poloniæ avulſi Hungariæ adjicerentur. Hanc ob cauſam *Ludovicus* Rex ad Pontificem miſerat, petiturus conſenſum
Bielski. pro Archi-Epiſcopatu *Halicienſi* nuper â ſe inſtituto, *Romæ*
Miechovita. antea inaudito, & quem Petro *Rzeſzovio* optima fundatione adjectâ contulerat. Epiſcopos nunquam habuit Diæceſis *Præmislienſis*, ſed tantum *Vladicas* Græcos, hanc tamen Rex in Epiſcopatum transformavit, cui Philippum *Komarnicium* Decanum Cracovienſem præfecit, haud exiguis proventibus prius proſpectis. *Camenecenſi* verò Epiſcopatu Boguslaum *Derſzniak* ornavit, non ſine certi reditûs collatione. Eccleſiæ Romanæ Statu in Ruſſia hoc modo conſtituto, Rex Comitia Polonis *Budæ* pro Feſto Aſſumptionis B. M.
Bielski. V. intimavit. Res hæc plane erat nova & antea inaudita, nec ſtringebat Polonos Proceres, ad tam longinquum iter in alienum regnum comitiorum gratiâ peragendum.

Huc

Huic Regio edicto oppoſuerunt ſe Polonorum Senatores. Inventi tamen ſunt aliqui, qui ob privatas ſpes *Budam* pro Comitiis ivere, inter quos Albertus *Sztrzelecius* regni tum temporis Theſaurarius, qui Regum Poloniæ diadema ex theſauro regni depromptum, Reginæ *Eliſabethæ* ſeniori clam in Hungariam transmiſerat, & quidem Senatu Regni inſciô, donec Andreas *Lubranſcius* Epiſcopus, fratribus ſuis, præcipuè verò *Granovio* Mareſchalco Regni, rem ex Hungaria patefecit. Huic itineri ſe adjunxerant Felix *Sieciech* Palatinus Lublinenſis, Joannes *Słuzovius* Palatinus Siradienſis, Gregorius *Laſſota* Palatinus Belzenſis, Stanislaus de *Krępa*, Caſtellanus Sendomirienſis, Hieronymus *Spot*, Caſtellanus Biecenſis, Joannes *Gomolinſcius* Caſtellanus Siradienſis, & Andreas *Lubranſcius* Epiſcopus Vladislavienſis. Horum Senartorum *Budam* adventus, pergratus Regi *Ludovico* fuit: ubi in Comitiis, nomine Regis, Senatui Polono (*Jaroccius*) natione Polonus aulicus & Secretarius Regiæ Majeſtatis, ſententiæ tenorem, his verbis aperuit:

Sacra Regia Majeſtas, bono pacique Reipublicæ" Veſtræ ſtudens, in animum induxit, quaſdam" Provincias, nempe Halicienſem, Camenecenſem," Premislienſem & Sanocenſem, â Polonia avellere," ſimulque eas Regno adjungere Hungarico, &"

 quidem

„quidem per modum permutationis, Ducatum „Scepuſienſem perpetuis temporibus ab Hungaria „avellendum ſceptro Polono adjungendo, quæ „res ob contiguitatem maximo veſtro cedet com- „modo. Cauſam addidit regii propoſiti, rationi & „æquitati hâc in parte eſſe conſentaneam, quippe „cum Suæ Regiæ Majeſtati duo ampla regna mo- „derari convenit, non datur Suæ Majeſtati occaſio „ſemper in Polonia commorandi, ad propulſanda „regni pericula, verùm poſtquam Sua Regia Majeſtas „Generum Suum Sigismundum Ducem Brande- „burgicum Haliciæ præfecerit, (cui Daciam ce- „det, & ut Regium Diadema pro Regno Haliciæ „â Summo Pontifice concedatur, efficiet.) Is, „ſcuti inſtar ſemper erit, ad protegendam quovis „tempore Poloniam contra omnium Orientalium „inimicorum aſſultus.„ Ad hæc, Senatus Polonus „hisce reſpondit: Non convenimus huc ad paciſcendos „cum Sua Regiâ Majeſtate ullos commutationis „in præjudicium Reipublicæ Polonæ contractus; „ſed exorandi cauſa, ut Sua Majeſtas ſalubriores „regendi Poloniam inire velit rationes, quibus & „Regni defenſioni & ſanctæ juſtitiæ (qua prorſus

carc-

caremus) recte conſulatur. Nec quoque Nobis" facultas eſt, in his inſvetis Budenſibus Comitiis," ſine ſcitu & conſenſu omnium Senatorum Regni," fratrum noſtrorum quidpiam ſtatuere" Itaque Rex *Ludovicus*, Cui præmeditatum non ſucceſſit publicè Conſilium, ad corrumpendos clam Polonorum Senatorum animos ſeſe applicuit, aureâque ſvadâ omne id, quod concupiverat, effecit. Securos intereà hos interverſores reddidit, & extra omne periculum cæterorum fratrum fore pollicitus eſt, quorum conſenſum hâc in parte parvo temporis intervallo interjecto, obtinere ſperabat. Sed, tam corruptorem, quam corruptioni obnoxios valde fefellit opinio. Etenim *Lubranſcius* unus ex prædictis Senatoribus, Epiſcopus (*Vladislavienſis*) matre *Granoviâ* progenitus, nec auro, nec ullis artibus perduci poterat, ut Regio gratificaretur deſiderio, & devitans Collegas ſuos, res Reipublicæ *Budæ* geſtas, cum Raphäële *Granovio*, Regni Mareſchalco ſecretò per literas communicavit; Is non diu cunctatus, unâ cum literis hiſce ad Fratrem ſuum *Vincentium* Præfectum Majoris Poloniæ ſe contulit, & ſimul cum illo ad Archi-Epiſcopum Gneſnenſem advolavit, eundem de negotio, in Hungariâ geſto edocturus. Hi itaquè Senatores cætero Senatui diem Convocationis, *Lenciciæ* incunctanter dixerunt, in quâ, vulnus celando, prudenter concluſum, de Nunciis ad Regem mittendis, qui obnixe orarent, ut

propter communia Reipublicæ *Polonæ* ſtudia, *Glinianiis* prope *Leopolim*, ad diem Divo Bartholomæo dicatam, præſentiâ ſuâ eos dignare velit, ſimulque nunciarent Senatores Polonos illic quoque adfuturos. Poſtquam igitur Légati videlicet *Czyzowski* Dapifer Cracovienſis, & *Sulkovius* Enſifer Regni in *Hungariam* perveniſſent, ac Legationem ſuam Regi *Ludovico*, eâ quâ par erat reverentia expoſuiſſent, & acceptam illi fuiſſe compererunt. Imaginabatur enim ſibi fore, ut conſenſum illum *Budenſem*, facile circa ſui præſentiam, Univerſus approbaturus eſſet Senatus. *Granovius* Mareſchalcus, quosdam ex adjutoribus (*Cubilariis*) ſuis, præfatis Legatis adjunxerat, qui Eum de omnibus, quæ in *Hungariâ* gererentur certiorem facerent. Hinc optimè exploratum habebat, quando & quâ ratione Rex *Budâ* in *Poloniam* perrecturus, & in quibus diverſoriis pernoctaturus eſſet. Regi *Ludovico* ad fines *Poloniæ*, cum Comitatu ſat compto 5000. armatorum jam appropinquanti obviam venit Mareſchalcus Regni, qui interea Litteras Circulares ad univerſos Diſtrictus, in iisquê tam ad Senatores, quàm Nobiles perſcripſerat, injungens, ut omnes Nobili genere nati, una hebdomadâ ante Feſtum Divi *Bartholomæi*, ad *Glinianum* compareant, tantundem temporis, adventum Regis anticipando. Cumque Rex *Ludovicus* in confiniis Regni conſtitiſſet, prodierunt obviam cum mille Equitibus tres Senatores, Regem á Senatu & Ordine Equeſtri ſaluta-

lutatum, Cui ſe â finibus ad *Gołogorum* non procul â *Gliniano* comites præbuerunt, quo in loco Nobilitas Polona numerò 50000. confluxerat. Porrò tertiâ die adventus Regii *Gołogorum*, Senatus Nobilitasque Legatos ad *Ludovicum* Regem miſerant, poſcentes, ut Senatoribus Polonis collegis ſuis, qui cum Rege in *Hungaria* fuerant, facultas daretur in medio ſui comparendi, atque de bono Reipublicæ ex debito conſultandi. His itaque in Comitium Senatorum venientibus, nullus ipſis â Senatu habitus fuit honor, nec quisquam ex Nobilitate etiam affinis, adventum illorum gratulari, (utut voluerit) ſibi præſumebat, imò ipſe Equeſtris Populus torvis illos conſpiciens oculis, dentibus frendebat. Interea Regni Mareſchalcus *Granovius* in Comitio Senatorum, ubi præcipui quoque ex Ordine Equeſtri aderant, Literas *Budâ* ad ſe per Epiſcopum *Lubranſcinm* ſcriptas produxit. Quas cum Cancellarius Regni *Drzevicius* omnibus præſentibus in Comitio legiſſet, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis ex *Lubranſcio* ſciſcitatus eſt, an productarum literarum ſcriptionem noſſet, & quæ in illis de ruinâ Reipublicæ exaraverat, agnoſceret? ad quæ Epiſcopus reſpondit: Quicquid ſcripſi, verè me propria manu ſcripſiſſe non diffiteor, & quidem ſalvâ ac illæſa conſcientia. Injunctum eſt illico reis, â Comitio Senatorum, (utpote tam honorifico loco indignis) ſecedere, qui interim ſub certâ Mareſchalci cuſtodia detinebantur.

Mox

Mox *Lubranſcio* Epiſcopo in Mandatis datum, ut Proditores Reipublicæ jurejurando ſuper Evangelia ſolenniter facto finaliter convinceret. Poſt præſtitum Juramentum unius ferè horæ ſpatio capite plexi ſunt eorumque cadavera, Regio ab utraque parte ſubjecta Throno, ac pretioſo purpurei coloris panno tecta fuêre.

Poſtridie, Senatus Ordoque Equeſtris *Gołogorum* ad invitandum Regem ſe contulerunt, humiliter rogantes, velit Sacra Sua Regia Majeſtas, ob prægnantia Reipublicæ negotia, Senatorum adeſſe Comitiis. Rege in Throno collocato, & adhuc de cæde Senatorum, qui Ipſi intimæ admiſſionis erant neſciô, (nocturno enim tempore detruncati fuerant) Raphaël *Granovius* Regni Mareſchalcus, hâc ad Regem, omnium Reipublicæ Ordinum nomine uſus eſt allecutione.

SEreniſſime Rex, Domine Noſter Clementiſſime. Gens Polona præcipua ſemper fuit & eſt erga Dominos Suos fide. Poſt DEI Gratiam, æternamque animarum Salutem, nihil unquam ſanctius ſibi ducebat, quam auream libertatem, bonum Reipublicæ & Regum Dominorum Suorum favorem. Quod verò in Majeſtatis Veſtræ inciderimus malevolentiam, cum id nullo noſtrûm factum ſit vitiô, ſingulari alicui peccato adverſoque Rei-

publicæ

publicæ fato tribuendum eſſe cenſemus, ſiquidem cum Sacræ Regiæ Majeſtatis Mater Originem è Polonia trahat, Ejusque uteri fructum nempe Regiam Majeſtatem Veſtram Deus regno noſtro reddiderit, æquum eſt, ut S. R. Majeſtas Veſtra, præbeat Se nobis Polonis fidelibus ſubditis ſuis Dominum & benefactorem clementiſſimum, cum ſis de oſſibus noſtris. Cœterum cum S. R. Majeſtas Veſtra hoc quaſi neceſſitudinis vinculo Reipublicæ Polonæ conjuncta ſit, ideo Reſpublica Polona haud leviter animo angitur, quod S. R. Majeſtas Veſtra extraneis eam regendam in majorem ejus contemptum tradiderit contra Jura libertatesque a Majoribus noſtris partas. In tanto mœrore, unice ob reverentiam erga S. R. Majeſtatem Veſtram D. N. C. extraneos in gerendis Magiſtratibus patienter hucusque ſuſtulimus, quorum gravi dominatione ut S. R. Majeſtas Veſtra clementiſſime jam nos eximere velit, humiliter ac enixe rogamus; tum quoque ut diadema regni noſtri per Theſaurarium Regni Poloniæ perfidioſè in Hungariam ablatum reſtituatur. R. V. Majeſtatem reverenter inſuper obſecramus, dignetur curas ſuas regias in id intendere,



Biblioteka Śląska
Biblioteka Uniwersytecka Starodruki w Toruniu

ut juſtitia ſecundum Jura Statutáque Polonica exacte obſervetur, ea etenim libros vitæ nuncupamus, ac nobis ſunt inſtar columnarum Reipublicæ quippe quæ conſiſtere nequit, niſi legum intenſiſſima habeatur cura. Conſtat enim, omnia regna juſtitiâ præmiis & pœnis in ſtatu ſuo integro ac ſplendore conſervari. Conqueri nobis præterea coram Majeſtate Veſtra de iis fratribus noſtris obvenit, qui inconſultis ac invitis Ordinibus Budam ſe contulerunt, ibique cum Majeſtate Veſtra pacta quædam (uti fertur) omnium noſtrûm nomine inierunt. Quod cum contra conſcientiam & in maximum Reipublicæ præjudicium ab illis factum; ideo meritas ſceleris ſui pœnas Nobilitati Polonæ dedere, utque id verum eſſe pateat hic ſub pedibus Majeſtatis Veſtræ Regalis Throni ea proditorum Reipublicæ cadaveta jacent, poſteris documento, ne quis privatâ auctoritate præſumat contractum quendam permutationis bonorum Reipublicæ Polonæ unquam inſtituere! (eodem autem momento decollatorum corpora detecta Regi monſtrabantur) Cum vero S. R. Majeſtas Veſtra bonum Reipublicæ Polonæ promovere non autem diminuere, Jurejurando

tenea-

teneatur, quæſumus ergo, ne R. Majeſtas Veſtra id adimat Poloniæ quod ei non dedit, & ſi forſan noſtri licentioſi errones aliqua Pacta Conventa cum S.R. Majeſtate Veſtra Budæ ſubſignaverunt, de nullitate facti proteſtamur, idque omnino improbamus.

Reſpondit ad hæc nomine Regis (Jaroccius) Polonus Aulicus, a Secretis Regiis ac eo tempore in caſtris Polonorum Regius interpres hiſce verbis.

Quanquam S.R. Majeſtati cædes Senatorum, qui cum R. Majeſtate in patriam ſuam remeârant magno ſit dolori: nihilominus, ſi aliter fieri non licuit, id Polonis vitio haud vertit. (Ipſemet enim Rex aſpectu cæſorum timore perculſus fuit.) Permutationem ditionum Hungaricarum pro Polonicis quod attinet, S.R. Majeſtas ab eâdem recedit, eamque penitus annihilat: Extraneos in officiis Regni conſtitutos & Polonis offenſioni exiſtentes, brevi ſe remoturam S.R. Majeſtas regio pollicetur verbo. Sanctam quod ſpectat juſtitiam, de qua utpote labefactatâ ac infirmâ incolæ regni Poloniæ conqueruntur, S.R. Majeſtas per integrum menſem Cracoviæ Polonicis præeſſe Judiciis decrevit, in quibu

Eadem, ſi adhuc quidpiam in majus incrementum libertatis nobilium addi poterit, gratiam ſuam Regiam ac beneficium Regno Poloniæ hac in parte ſe collocaturam promittit, ea tamen adjecta conditione, ne Senatus ac Equeſtris Ordo poſt exceſſum ſuæ Majeſtatis, deficiente maſculo hærede, & Filiabus S. R. Majeſtatis ſolummodo ſuperſtitibus, quempiam alterius Gentis, ſed unam potius è prædictis ſuis Filiabus regno præficiat. Subſcripſit huic voto Regio Senatus & Ordo Equeſtris Polonus, & hinc factum Regem Ludovicum tot tantisque libertatibus ac immunitatibus Nobilitatem ornaſſe Polonam, ut nullus Regum ante illum majores conceſſerit.

SEQUITUR

# APPENDIX KOŁUDZCII.

HUjus Transactionis Ruſſicæ, nullus ex priſcis Hiſtoricis meminit, qui quidem initium & finem Regiminis LUDOVICI attingunt, de hoc autem Glinianenſi motu, nullam mentionem faciunt: Ex Recentioribus verò Joachimus *Paſtorius*, Flori Polonici Lib. II. c. 20. tale veſtigium reliquit.

Cætcrum peragranti victoriis Ruſſiam Ludovico arriſit terræ illius genius & feraciſſima frugum Ubertas; Unde Ungariæ

gariæ eam adjicere agitans, Ungaricos ei Præfectos imponit & ut omnia iſthic ſibi obnoxia haberet, Archi-Epiſcopatum Haliciæ (quam olim tenuerant Ungari) inſtituit, qui poſtea Leopolim translatus, penes eam Urbem hodieque manet. Non effugit tum Ludovicus ſuſpicax populi Silentium & voces quorundam liberiores; Imo & univerſum Ordinem Equeſtrem in Comitiis, tumultu quodam Duce *Granovio*, adverſus præſens regimen inſurrexiſſe, ac Senatorum nonnullorum quos libertati publica indignatio ſubito immolaverat cadaveribus Regem terruiſſe fama tenet. Sed nec Veſpaſianus *Kochowski*, Climact. 1. Lib. 6. fol. 373. Eques, ac inſignis Hiſtoriæ Polonæ Scriptor id præteriit, ſed econtrario ſequentia poſt ſe reliquit.

Memoratur præterea antiquior Polonorum Conventus An. Ch. 1380. Rokoſz nuncupatus, unde poſtea ejusmodi conciliabula Rokoſz vocari conſvevere perennis traditio; ita refert Ludovicus (*Lois*) Caſimiri Magni Sororinus, æquè Polonis ac Hungaris Rex, ſed qui hæreditario dominatui æquior. Provincias Haliciæ ac Pocutiæ Polonis detractas volebat ut Hungariæ adderet. Ac quo placita jure firmaret, indictis albæ Regali Comitiis, plerosque e Senatu Polonico illuc evocarat extorquenda apud ſe facilius credens, quæ â libera gente in Polonia impetrare nequiret. Nec fefellit ſpes Regem aſſentientibus qui evocati erant, ac jactura Patriæ deſiderio Principis gratificantibus. Aſt fervente ſub initium libertate, male authoribus avulſio Provinciarum ceſſit, *Lubranſcio*, *Granovio* acerrimis integritatis Patriæ vindicibus. Fidem transactæ rei faciunt veteres Manuſcripti in Archivis multorum aſſer-

vati, quæ tamen à noſtratibus Chronographis neſcio, quam ob rem transmiſſa ſilentio.

Hucusque *Paſtorius* cum *Kochowſcio.*

Nonnulli, ſeu affectu privato, ſeu ignorantiâ moti, hanc Motûs Glinianenſis hiſtoriam, falſi crimine accuſare, calamo præcipiti, haud verentur; dicuntque illis temporibus, nec *Granovium* fuiſſe Mareſchallum, nec ullum ex *Lubranſciis* Epiſcopum; Sed (ut cætera reticeam, ac fœcunditati tali intellectus, ſeu potius, pruritui parcam) quivis apud *Paprocium*, legere poterit, illo ſæculo fuiſſe ex hâc Familia Epiſcopum, nomine *Andream*, qui quantus vir fuerit *Concilium Conſtantienſe*; (teſte eodem Scriptore,) luculentum perhibuit teſtimonium. De Granowſciis autem, nec ſubdubitare licet, in quanto enim flore, hæc Familia illis temporibus fuerat, idem Paproccius, ſuo loco, ſub Stemmate *Leliwa* teſtatur, cum dicit, Viduam *Granovii* Thoro Thronoque Regis Vladislai Jagellonis fuiſſe dignam reputatam. Nam is poſt obitum *Annæ* Hungaricæ; alterius uxoris ſuæ, tertiam duxit de domo *Pilecciam*, Filii, *Vincentii Granovii* Generalis Majoris Poloniæ Capitanei, viduam. Ex quibus Granowſciis, id eſt, ab uxoris ejusdem *Vincentii* Fratre, Demetrio *Granowſcio* Caſtellano Naklenſi, ſuam originem traxerunt DD. Comites *Sieniawſcii*. Hic autem Caſtellanus, tres habuit Filios, nempe, *Raphaëlem*, *Johannem*, ac natu-minimum *Gregorium*; qui quidem in rure Paterno, *Granow* pedem fixit; uterque autem ejus frater Raphaël & Johannes, Caſtra ſecuti ſunt, & non parum temporis, ſtipendia militaria merentes, circà obſequia Regis

ac

ac Reipublicæ in oris Ruſſiæ abſumpſerunt, quibus, Rex *Caſimirus* Jagellonides, deinde verò Filius ejus *Albertus*, tum *Alexander*, in præmium rerum fortiter & præclare geſtarum, quasdam opimas poſſeſſiones in Terris *Moldaviæ*, ac *Haliciæ*, attribuerunt. Et *Raphaël Granowski* quidem, in Sociam vitæ duxit, *Petri Cebrowſcii*, filiam *Annam*, ex quâ, tres nactus eſt filios, nempe *Nicolaum* Palatinum Ruſſiæ, *Alexandrum* Succamerarium Halicienſem, & *Procopium* Dapiferum Leopolienſem. Hique *Granovii*, ab oppido *Sieniawii* in Territorio Leopolienſi ſito, dicti ſunt *Sieniawſcii*. Johannes verò Raphaëlis Frater germanus, ſociavit ſibi *Chodorowſciam*, bonorum *Drozdowo* & *Kuropatnice* hæredíſſam, à qua villâ *Drozdowo*, *Drozdowſciorum*, inſignis, & benè de Rep. promerita, hodîeque vigens Familia originem trahit.

Annus iſte, non tam facinore iſto Ruſſico orbi commendabilis fuit quin potiùs immemorabilis ac oblivioni dandus, ob primam tum factam (Diabolicam dixerim) Bombardarum inventionem, quarum uſus, primùm hoc anno in oris Galliæ, circa obſidionem cujusdam fortalitii Gallici adhibitus, in apricum proſiliit, & abhinc priſcus modus Sariſſis, ſeu haſtis oblongis tùm ſagittis præliandi; deſinere videbatur.

His expletis, Rex Ludovicus, minus Polonis confidens, rectà in Hungariam perrexit, ubi, integro Anno, ſummo mærore, ex irrito ſuorum intentorum eventu præconcepto, conſumebatur, eousque ut hac ex cauſa, in morbum inciderit.

Cum-

Cumque ſe viribus deficere animadverteret, ut ſtante vitâ, ſecundum datam ad *Glinianii* fidem, prolem ſuam diſponeret, indixit Polonis Comitia ultimis diebus Julii, *Solii*, (we *Zwolenin*) in Territorio Scepuſienſi. Quibus congregatis, lachrymis obortis eos allocutus eſt, veniamq; pro malis à ſe unquam commiſſis ab iis petiit; rogans inſuper, ut generum ſuum *Sigiſmundum* Marchionem Brandenburgicum, (qui tum Annum 14. agens, *Mariam* ejus natu majorem filiam, in conſortem duxerat) ſibi in Regno ſufficiant, eâ maxime ex ratione, quod is Marchionatus ſit Poloniæ contiguus, quem ipſi Pater ſuus ab *Othone* comparaverat. *Hedwigim* verò natu-minorem filiam, unà cum Regno Hungariæ, *Wilhelmo* Archi-Duci Auſtriæ Ludovicus deſponſavit. In his igitur Comitiis Ludovicus a Polonis obtinuit, ne poſt ejus obitum, huic ſuæ voluntati refragaretur, id quod illi, præſtito juramento appromiſerunt. Duobus ab hinc menſibus expletis, obiit Ludovicus (portendente ejus mortem Cometâ) poſtquam præfuiſſet Poloniæ 12. Hungariæ verò 14. annis, & annum ætatis 56. attigiſſet.

Perſæpe mutato habitu, de Civitate in Civitatem perambulare ſolebat, quid de ſe ſuis Conſiliariis paſſim diceretur; an publicorum tributorum exactores juſtè officio ſuo fungerentur, & ſi Judices juſtitiam colerent, exploraturus; & hoc prorſus modò, in multis rebus cautus, ac circumſpectus fuit. Sub ejus regimine, Clerus ſummam oppreſſionem patiebatur, maxime verò *Nankierus* Epiſcopus Vratislavienſis, qui cum toto Clericorum cætu, à Civibus, ſede ſua pulſus fuit; unus-

Miechovita.

unusque ex Presbyteris, crudeliter ab ipſis trucidatus eſt; pro quo ſacrilego piaculo, vindictam divinam non effugerunt, etſi brevi poſt publicam pænitentiam egiſſent, ac juramento ſe obſtrinxiſſent, ſe nunquam amplius in Clerum inſurgere velle, nam tota Civitas brevi ab hinc vehementi incendio abſumpta eſt; Angelo viſibiliter apparente, qui flammas vibrabat, & ciebat, hominesque pro defenſione accurentes gladio verſatili abigebat.

Hæc KOŁUDSKI.

EAndem Motûs Glinianenſis Hiſtoriam deſcripſit, idem Kołudzki, vel quispiam alius Polono Poëmate, quod in utraque editione ejus operis, Poſnanienſi 1707. & 1725. (in tertia enim poſtremâ Supralienſi 1727. deeſt) tum ad calcem Nicolai *Chwalkovii* Memorialis Chronici Pruſſiæ, Poſnaniæ 1712. editi, exſtat, in quo Rythmi aliqui incompti, (quales ſunt v. g. było, *ciągneło*; ſtanęła, *zakroiła*; wići, *ſzczyci*; miło, *było*; ſzyie, *fakcyę*; &c. &c.) non à Poëta, ſed potius Poëtaſtro quopiam, *invita Minervâ*; illud ſcriptum fuiſſe, indicant. Eſtque tale. pag. 24.

# KOMEDIA WOLNOSCI.

## Pod Glinianskiey Sceny Tragicznym Aktem w Pałacu Wieczności wyſtawiona.

SCenę tragiczną w Polſzcze przedaney wolnośći
Prezentuieć na koniec Pamiętna wiecznośći,
Ktorą to w ſobie taią, Glinianſkie mogiły,
Dotąd iak Senatorow Dwunaſtu pokryły,

Tę, ia na oko światu ſtawiam komedyią,
Tym przykłádem niech giną źli, á dobrzy żyią.
Za czaſow Panowania Węgrzyna Ludwika
Przedano wolność Polſką w niewolnicze łyka,
Gdy iedno ſceptrum ſpolne rządziło korony
Stał ſię zwyczay ſwobodny Panu naprzykrzony.
Takze żyć z Polakami śmiercią prawie było
Ludwikowi, kiedy go ſerdeczne ciągneło
Przyrodzenie do Węgier ze tylko gość z Niego,
Tu, a nie Krol: na wzgardę narodu Polſkiego,
Pod niebytność urzędy Cudzoniemcom daie,
Ruinuie prawa Polſkie, ſwych kraiow zwyzaie
Funduie na Polakach, ſkrociwſzy ſwobody
Oſadza na Staroſtwach Niemieckie narody,
Chcąc w Niewolnicze wolność okować kaydany
Skrytey zazywa rady z Koronnemi Pany,
Więc aby tym bezpieczny fortel uſtalony
Zoſtał, koronny Senat, do Węgier zwabiony:
Pod pokrywką obrady publiczney to mięniąc
A ſkrycie więc z Węgrami Wolność Polſką zęniąc,
Przytym traktacie złotem po ręku ſmaruią,
Na co niektorzy z Panow tu ſię podpiſuią.
Y tak w Budzyniu rada kryiomo ſtáneła,
Aby co Polſka ſzabla, granic zakroiła:
Po ſam Kamieniec dali, odciąć ukrainę
Halicką y Sanocką Przemyſtką dziedzinę,

Przy-

Przyłączyć to do Węgier Ludwik uśiłuie,
Co na publicznym Seymie w Budzyniu funduie.
Na to Niektorzy z Panow podali Imiona
Mięniąc ze Polſka przez to naymni z Ubozona
Nie będzie; Kiedy Krol z nią w ten frymark zachodzi
Inną daiąc dziedzinę. A na zgubę godzi.
Lubranſki tylko Biſkup ſam temu kontruie
I Granowſkieniu zdradę liſtem opiſuie
Marſchalkowi. Iechawſzy ten do Generała,
Daie znać co za rada w Budzyniu ſię ſtała,
I tak w Łęczycy walną obradę składaią,
Na ktorą Senatorow Polſkich zapraſzaią:
Z Obecnośćią Ludwika, aby pod Gliniany
Przybył z ſwym Majeſtatem y Polskiemi Pany,
Na Seym publiczny pod Lwow koronncy obrady,
Wſtępuiąc w dawnych Przodkow Krolow Polſkich ślady
Wtym Marſzałek wydaie po wſzech Grodach Wici,
Aby kazdy kto tylko Szlachćicem ſię ſzczyci
Stawał do Glinian na dzien Seymu naznaczony
Gdzie Gmin Szlachty co zywo ſtaneł niezliczony,
Na pięcdzieſiąt Tyſięcy, a Krol z Senatory
Na Granicy witany od Marſzałka ktory
O dwie mili od Gliniąn, ſtaneł z ſwoim dworem.
Od Rycerſtwa Polſkiego, idąc ſwych praw torem.
Wyſłani ſą Poſłowie proſzą o ſpoł Rayce
Swey kollegi Oyczyzny, nie Bracią lecz zdrayce,
Zeby ſię do publiczney obrady ſtawili,

Y z tego co w Budzyniu ſkrycie uradzili,
Sprawili ſię przed Bracią. O niczym wiedzący,
Napadaią na Dekret ſwey zdradzie gorący.
Witaią ſię z Kollegi, lecz niebardzo mło
Bo na nich wſzyſtkich ſerce zaiątrzone było.
Marſzałek pełne zdrady liſty prezentuie
Głos iednoſtayny pod miecz katowski skazuie,
Dwunaſtu Senatorow, Sauromackich ſzyie.
By zyciem zapłacili, zdradzieckie fakcye,
Uciętę trupom głowy, pod Thronem złozyli,
Y Krolewską purpurą nieznacznie przykryli.
W tym Ludwik niewiedzący, do rady przybywa,
Marſzałek z powitaniem zdradę mu odkrywa.
Niewdzięznych Matce Synow, prezentuie głowy,
Ktorych od Braci dekret, potkał tak ſurowy.
Struchlały Krol, z obaczy ſwych kochankow ciała
Rzecze: gdy ſprawiedliwość, tak święta kazała,
Wrodzone Niesmiem łomac, narodu wolności,
Na wſzyſtko wam pozwalam z Oycowskiey miłośći,
Z ktorey do tych Polsko maſz twoie ſwobody
Głos wolny, Elekcyą, czego Narody
Poſtronnec więc zazdroſzczą wſzyſtko maſz od tego
Krola, przykładem ſmierci tym nauczonego,
Iak droga wolność Polska, uczcie ſię Polacy,
Przykładem Krolow Panow waſzych byśćie tacy
W ſprawiedliwośći, Sądach, Oyczyzny miłośći
Zyli na zazdrość wiekom przy złotey wolnośći.

RE-

# REFUTATIO

## Narratiunculæ, de Regimine Regis LUDOVICI maxime verò de motu Glinianenſi, contra eum excitato An. 1341. 26. Aug. ab AUGUSTINO KOLUDZKI aſſertæ & vindicatæ.

CUm hic Scriptor, hanc Fabellam ex Manuſcriptis erutam, faſtis ſuis hiſtoricis inſeruerit, argumentum iſtud ſpecioſis ratiociniis tractârit, omniaque quæ pro aſſerendo hoc nugamento adduci poſſent, non minùs, cum inſigni zelo, quam labore congeſſerit, hinc operæ pretium duximus, illum præ aliis ad examen vocare, falſum iſtud, quod errores quam plurimos peperit, detecturi. Non equidem diffitemur, in hac conficta Fabellâ, nonnihil veri, ex Hiſtoria Polonâ inſertum fuiſſe, at proinde integrum Commentum fide hiſtoricâ ſuſcipiendum eſſe, quis dixerit? Solemne quippè, ac frequens eſt, cuivis fraudum artificii, mendacia ſua, rariore veritatis ſale condire, ne penitùs exoleſcant: Proinde, ut vera à falſis, triticum à paleis, eo accuratius diſcerni poſſint, omnium ferè *Koludzcii* verborum, nobis ineunda eſt ventilatio.

DEUS QUI IPSA VERITAS EST, COEPTA SECUNDET.

## §. I.

Orditur ſuam Narrationem, ſeu verius, parte veri immixtam fabellam Commentator, ab inauguratione Regis Ludovici, & in ipſo Limine ſtatim hallucinatur. Ait enim, „ „*Ludovicum, brevi poſt celebratam Cracoviæ ſuam Coronationem,* „*Gneſnam properaſſe, ac Ipſi ab ejus loci Archiepiſcopo Staniſlao,*
p. 244. „*(ſeu volente Bielſcio) Jaroslao Bogorga, Thronum Regium re-* „*ceptui paratum fuiſſe, quo conſpecto, Ludovicum Cachinnum mo-* „*viſſe, ſedem reſpuiſſe, dixiſſeque ſe poſt receptam unam unctionem,* „*alterâ nullatenus egere; crediderat enim falſò, novam ab eo ex-* „*torqueri, pro Regno Majoris Poloniæ, inaugurationem*„ Hucusque Commentator. In hac Relatione, primò, nomen Archiepiſcopi immutatum eſt, neque enim *Staniſlaus*, nec *Bogoria.*
Cromer. l. 13. p. 223. vocabatur, at (ut bené vult citatus *Bielſcius*) *Jaroslaus*, de Domo *Skotnicki*, Stem̃atis populariter dicti *Bogarya*. In inſignia Re-
Damalewicz Gneſn. 187. gni, Cracoviæ Ludovico collaturus, multum reluctatus eſt, partes ſuas adjuvantibus Majoribus Polonis, eam Coronationem, more Majorum, Gneſnæ peragi deberi connitens, cum tamen Ludovicus, Caſimiri avunculi ſui, & aui Vladislai exempla ſequi ſe affirmâſſet, ægrè voluntati Regis acquievit; ac ſuffragantibus ſibi, Floriano (*Mokrski*, Cracovienſi)
(a) Starowolski Cracov. 111. qui *Jaroslao* (a) jam tum præ ſenio cæcutiente, omnes hujus functionis partes peragebat) ac Petro (von *Oppen*) Lubuſſenſi (*) qui

(*) Epiſcoporum Lubuſſenſium Series, reperitur apud Georgium Sabinum mihi p. 282. in Hubneri Hiſtoriſche Fragen, & in Abel Preuſſiſche Staats-Hiſtorie P. II. 144. (Beckmannus enim; quem Abel citat, nihil habet in Deſcr. Civ. Francofurtanæ) & hinc ſuppleri poſſunt nomine Familiarum, tum 9 Epiſcopi prætermiſſi, in illâ, quæ exhibetur in Corona Polonica p. 84.

Epiſcopis; ritu ſolenni, uncto Regi, diadema impoſuit. Quod verò Commentator ait, falſò perſvaſum ſibi habuiſſe Ludovicum, iteratam ab eo prætendi Gnesnæ inaugurationem, id pro certo aſſerit *Dlugoſſus*, (b) *Cromerus*, (c) *Bielſcius*, (d) (maxime verò; coætaneus illorum temporum ſcriptor Johannes Archidiaconus Gnesnenſis in ſuo Chronico Poloniæ recentiſſimé edito à F. W. *Sommersbergio*, (e) cum etenim, Majoris Poloniæ Proceres, ne Cracoviæ dicta Inauguratio fieret, haud efficere valuiſſent, ſaltem de novo, hunc ritum ſolennem *Gnesnæ* repeti debere, adnitebantur.

(b) p. 72.
(c) p. 223.
(d) p. 244.
(e) In Scriptoribus rerum Sileſicarum t. II. p. 104. 106.

## §. II.

Commentator, referens (Ano 1376.) „ *Hungaros meliùs gratiâ valentes, apud Eliſabetham Reginam Matrem, Polonos contemptui habuiſſe; injuſteque Capitaneum Cracovienſem Jaſchkonem Kmitam trucidâſſe, cenſet, homicidium iſtud, nunquam ſatis expiatum fuiſſe.* „ At contrarium ſentiet, quisquis ex ſingulis Hiſtoricis (**) edidicerit; confeſtim ſilios & affines demortui, plenos minarum & cædis, omnes, quotquot in domibus, per compita & plateas, ſibi obvios habuiſſent Hungaros, vindice chalybe vitâ ſpoliâſſe; imo, (ut habet, Johannes Archidiaconus Gneſnenſis in ſuo Chronico (f) fuerunt D: Jaſchkonis

(f) In Corp. Somersbergiano t. II. p. 314.

(**) Dlugoſſius L. 20. p. 34. Miechovita 252. Cromer. 227. Herburt. 185. Neugebaur 218. Sarnicki 332. Strykowski 456. Bielski 258. Idem ex Vapovio in Chronico mundi 377. b. Nakielski 314.

nis amici, tam fortitér accenſi, ut Hungaros, per ſcalas, (quas Dominæ & Dominicellæ Reginæ; per feneſtras Caſtri ejecerant) præfugâ aſcendentes, ſagittis inſequerentur & jaculis; ita ut numerus occiſorum ad 160 pervenerit, (quorum corpora; apud PP. Franciſcanos in *Capellâ*: quæ usque in hodiernum diem *Hungarica* vocatur, ſunt humi mandata) eandemque ſortem cæteros omnes Hungaros ſuperſtites fuiſſe habituros, niſi fugâ ſalutem quærentes, in Caſtello, ubi tum Regina commorabatur, Civitatem refugii, ac peropportunum reperiiſſent aſylum. Nonne verò, ſatis expiatam cædem ſummi licet Viri dixerit, quod tantâ lanienâ ſit vindicatum. Nunquam *carius*, *Hungaris conſtitit fænum* (illud enim fomes jurgii fuit) 160. *interemptorum emercatum*; ſunt Verba *Kochovii*: (g)

(g) In Hypomnemat. p. 76

## §. III.

„Commentator, dum ait„ *inter Capitaneum Generalem* „*Majoris Poloniæ Domaratum*, (*is fuit de Pierzchno Stemmatis* „*Grzymała Caſtellanus Poſnanienſis*) *ac familiam Nalęcciorum*, „*inteſtinum pullulaſſe bellum*, & *indeque ſubſecutas fuiſſe ab utrin*„*que multas ſtrages, ac domorum Nobilium exſpoliationes, hasque* & „*his ſimiles calamitates, Ludovico, præbuiſſe anſam, Domaratum* „*Capitaneatu privandi, eumque Vincentio Granowskio, conferendi*; citat pro majori authoritate *Bielſcium*: at nullatenus mihi perſvadeo, hæc ex eo deſumpta fuiſſe. Nam primò; quod inteſtinum diſſidium attinet; illud nonniſi altero ab obitu Regis Ludovici Anno (nempè 1383.) exortum fuit, (ut ha-

Bibliotheca Uniwersytecka Mikołaja Kopernika w Toruniu

habet expreſſé is idem *Bielski*, (h) tum *Dlugoſſus*, (i) ac (k) *Cromerus*,) & quidem inter *Domaratum* ſtemmatis *Grzymała*; Caſtellanum Poſnanienſem, ac Vincentium *Kępa* ſtemmatis *Nałęcz*, (non Lodzia ut perperam legitur in *Corona Polonicâ* p. 114.) Palatinum Poſnanienſem, unde hoc Civile Diſſidium, paſſim a noſtris Hiſtoricis vocatur, Bellum *Grimalitarum*, cum *Nalenciis*, ac nonniſi Anno 1386. a Rege Vladislao Jagellone compoſitum fuit, ut habet *Dlugoſſus*, (l) his verbis: *Paſcha Domini apud Poſnaniam celebrato, Vladislaus primam guerram, quæ inter Domaratum de Pierzchno Caſtellanum Poſnanienſem & Grzymalitas ab unâ, & Vincentium Palatinum Poſnanienſem, & Schwidwam de Schæmotuli Caſtellanum Naklenſem, cæterosque Nalęczitbas, partibus ab alterâ, non ſine pernicie communi agebatur, extinguit.* Idem habent quoque *Cromer.* (m) *Bielſki* (n) *Paprocki* in *Ogrod.* (o) tum in *Herby* (p) &c.

(h) p. 262.
(i) Lib. X. p. 73.
(k) p. 235
(l) p. 108.
(m) p. 246.
(n) p. 272.
(o) p. 166.
(p) p. 486.

## §. IV.

Deinde is ipſe *Bielſcius* (q) (quo ſe authore tutari conatur Commentator) expreſsè habet, non *Domarato*, at Thomæ *Wągleſzynio* Caſtellano Sendomirienſi, mærore conſumpto, in hoc Generalis-Capitaneatûs Majoris Poloniæ officio, ſuffectum fuiſſe *Granowſcium*, in quo concordat cum cæteris Scriptoribus. (r) Imo inter *Domaratum* & *Granowſcium*, alterum adhuc *Wągleſcinium* nomine Peregrinum (fortè Thomæ fratrem Floriani verò *Mokrſki* Epiſcopi Cracovienſis ex ſorore nepotem) in hoc officio interceſſiſſe conſtat ex eodem *Bielſcio*, (s) & aliis. (t) Sed quorſum hæc? Is ipſe

(q) p. 289.
(r) Dlugoſſ. L. 10. p. 185. Paprocki Herby 280.
(s) p 264.
(t) Dlugoſ. L. 10. p. 85.

(u) p. 259. 260. Dlugoſ, 68. 69. *Bielſcius* à Commentatore citatus, fuſiſſimè narrat; (u) quomodò in Interregno, poſt obitum Ludovîci (A. 1383.) renitentia Domarati, in cedendâ hac Præfecturâ, Vatiniani in ſe odii, & multarum diſſenſionum occaſionem præbuerit, usque dum Proceres omnes fortiſſimè urgerent *Sigismundum* Marchionem Brandenburgicum, (à Ludovico, filiæ ſuæ Mariæ, Sponſum ſimul ac Succeſſorem in Regno Poloniæ deſignatum) ut *Domaratum*, qui ei in favoribus erat, hâc Præfecturâ privaret, nonniſi amoto hoc offendiculo, aditum ipſi, ad Regnum capeſſendum pollicentes; quod cùm Sigismundus præſtare renuiſſet, à cunctis derelictus eſt, imò & ingreſſum Cracoviam, Dobeslaus de *Kurozwęki* Caſtellanus Cracovienſis ipſi denegavit, exoſum enim ipſum habebant omnes, eâ ſola de causâ, quod hunc Domaratum, totis viſceribus diligeret, cæteros verò Proceres negligeret, nec pro conviviis ad menſam ſuam exciperet. Poſt multas verò tergiverſationes, altercationes, & inteſtina bella, ceſſit tandem Domaratus hac Præfecturâ, factam verò causâ ſui, Sigiſmundo, regni adipiſcendi jacturam, reſarcire non amplius valuit.

Bielski. 264. Dlugoſs. 84.

## §. V.

Et hic jam *Koſudzcium* fabellæ Glinianenſis Patronum & Vindicem ex ore ipſius judico: Nam cum hæc (*ſub Ludovico*) (w) dixiſſet, paulo infra (x) hæc verba habet: (*ſub Hedvige*) *Po ſmierci Ludwika, Zygmunt zaraz Polakow obrazit że Domarata człowieka wartogłownego z Generalſtwa Wielkopolſkiego niechciał złozyć* &c. Et igitur poſt obitum Ludovici, Sigiſmundus, Doma-

(w) pag 84.
(x) p. 192.

Domaratum Generali Majoris Poloniæ Præfecturâ privare detrectavit, & ea propter Diadematis Poloniæ jacturam fecit, quomodo ergo à Ludovico, circa primordia ſui Regiminis, hac dignitate exutus Domaratus dici poſſit: Hæ Propoſitiones cum ſint contradictoriæ, de Sigiſmundo verò, Domaratum non amovente apud omnes omninò Hiſtoricos (quos hic longum eſſet enarrare) conſtet, quid verò inde ſequitur? niſi Narratiunculam Glinianenſem, in quâ hæc amotio Domarati à Ludovico legitur, eſſe omninò falſam & confictam.

## §. VI.

Potius itaque Commentator dicere debuiſſet; Prædislaum *Goluchovium* Palatinum Caliſſienſem, Præfecturâ Majoris Poloniæ à Ludovico motum fuiſſe, eique ſuffectum Ottonem *Pileccium*: uti expreſſe habet *Bielſki* (y) cujus authoritati maximè innititur, & hic ad marginem citat tum (z) *Długoſz*, (a) *Cromer*, (b) *Neugebauer*, & (c) *Sarnicki*.

(y) pag. 244.
(z) p. 14.
(a) p. 224.
(b) p. 214.
(c) p. 331.

Finxit Commentator Motûs Glinianenſis Authorem ſuæque Fabellæ Heroem GRANOVIUM, Mareſchallum ac Ducem Exercituum Regni, (uti infra demonſtrabitur) & ut huic Familiæ, tantò majorem authoritatem coacervaret, attribuit Vincentio *Granovio* Majoris Poloniæ Præfecturam, (quæ tum principalis dignitas habebatur; ita ut eam poſſidens, paſſim *Supremus Poloniæ Capitaneus vel Præfectus* nuncuparetur) ad Annum 1371. licetſi eam nonniſi 38. abhinc annis, nempe 1409. obtinuerit. Id ut faciat, craſſiſſimam non veretur com̄ittere Achronologiam. Nam inter *Domaratum*

*ratum* & *Granovium*, hâc dignitate fuêre pollentes, duo Wągleſzynii, Peregrinus & Thomas, imò Granovius, nonniſi poſt mortem Regis Ludovici (qui A. 1382. vivere deſiit) hanc Satrapiam obtinuit, nempe A. 1409. Thomæ Wągleſzynii emortuali, uti expreſsè habet præmemoratus & à Commentatore citatus *Bielski*. (d)

(d) pag. 289.

Hoc igitur, de quo hic agitur tempore (A. 1371.) Prædislao Goluchovio, à Rege Ludovico à Præfecturâ Majoris Poloniæ amoto, datus eſt Succeſſor Otto *Pileccius*; Cum verò is, nullas habens in Majori Poloniâ poſſeſſiones, invidiæ Procerum, Populiq; cedens voto, hâc Præfecturâ ſe abdicâſſet, Sandivogius de Subino, Stemmatis Topor (*) ipſi ſuffectus eſt; teſte, *Dlugoſſo*, (e) *Cromero*, (f) *Bielſcio*: (g) Sandivogio vero, in Capitaneatum Minoris Poloniæ, à Ludovico translato, tum demum *Domaratus*, Majori Poloniæ præficiebatur, (ut habet *Dlugoſſus*, (†) *Cromerus*, (h) *Bielſki*: (i) id optante Regina Eliſabethâ, pro eo, quod Hungaros, dum Cracoviæ occiderentur, (uti infrà dicetur) quantum potis erat, liberabat, uti luculentiſſimè teſtatur, coætaneus Scriptor Anonymus Archi-Diaconus Gneſnenſis in ſuo Chronico. (k) Jam verò, dum poſt obitum Regis Ludovici, Sigiſmundo Marchione Brandenburgenſi (ad Regnum Poloniæ deſignato) tandem permittente, hoc Magiſtratu cederet Domaratus, Peregrinus Wągleſzynski ei ſuffectus eſt, (l) (ut habet *Dlugoſſus*) cui

(e) p. 14.
(f) p. 224.
(g) p. 244. ut & Neugeb. p. 214. ac Sarnicki p. 331.
(†) p. 35. 1
(h) p. 228.
(i) p. 249.

(k) In Sommerb. Corpor. ſcript. Sileſ. Tom. II. p. 118.

(l) Dlugoſ. 85.

(*) Non Nalecz, uti perperam legitur in Korona Polska, pag. 283. & Topor habet expreſsè, Bielski l. c. p. 244.

cui è vivis ſublato, ſucceſſit nominis & dignitatis hæres Thomas Wągleszynski, ut habent *Okolski* (m) ac *Paprocki* (n) in utroque Opere. Ubi notandum venit, quod dum in utroque Paproccii opere, Annus huic Thomæ adſcriptus, legatur 1472 id ſphalma typi cenſendum eſſe, legique debere 1404. Thomam enim mortuum Ao. 1409. fuiſſe, liquidò conſtat ex *Bielſcio.* (o)

(m) I. 214.
(n) Gniazdo 507. Id. Herb. 280.
(o) p. 289.

His præmiſſis clariſſimè demonſtratur; a Predislao Goluchovio à Rege Ludovico amoto, ad Vincentium Granovium, quinque alios Generales Majoris Poloniæ Præfectos interceſſiſſe, videlicet Ottonem Pileccium, Sandivogium de Subino; Domaratum de Pierzchno, Peregrinum ac Thomam Wągleſzynios, quos omnes commentitius noſter Commentator, ſubitaneo, citatoque circumagit pede; ut ſtatim ad Vincentium Granovium pervenire poſſit.

„Proſequitur ulterius Commentator & ait.„ *Contra* „ *Litvanos, Tartaros, Boruſſos, Poloniam igne & ferro vaſtantes, ex* „ *conſilio Eliſabethæ Matris, Ludovicum Exercitum* 15. *millium* „ *cataphractorum ex Hungariâ in ſubſidium miſiſſe, ad ſupremum* „ *Exercituum Regni Ducem Raphaelem Granowski.* „ Dum iſta Commentator comminiſcitur; longè a data ſibi ſimilibus aberrat Regulâ, quâ, *mendacem oportere eſſe memorem*, vulgariter dicitur. Nec enim Raphael Granowski; tum vixit, nec Exercituum Regni Dux unquam fuit, nec quisquam alius, tali Exercituum Regni Præfecturâ, eâ temporis tempeſtate, inſignitus fuit.

(p) p. 72. *Quoad primum:* Raphael Granowski, circa Annum 1230. vixit, ut habet *Okolski*, (p) Ludovicus verò, ab Ao. 1371. ad 1382. Regni Poloniæ gubernacula tenuit, unde Raphael, ſesqui ſæculum, & quod excurrit longius tempus vixiſſe debuiſſet.

*Quoad ſecundum.* Raphael Granowski non potuit eſſe Exercituum Regni Dux ſupremus, (prout indicare videtur Commentator, his verbis *Hetman Polski*) nam, nonniſi ſub Sigismundo I. ac ejus Filio Auguſto I. perpetua hujusmodi Dictatura eſt recepta, anterioribus verò temporibus, quemlibet Palatinum, ſuæ Provinciæ Incolarum fuiſſe in præliis Ducem conſtat, quod & ethymon Palatini ſignificat; dicitur enim *Wojewoda*, quaſi *Woynę wiodę*. à *bello ducendo*. deſumptâ voce. Quocirca conferatur R. P. *Nieſiecki* in Corona Polo-
(q) p. 273. & 274. niæ. (q)

*Quoad tertium.* Fuêre quidem & alii *Duces Exercituum Curiæ* vulgo *Hetmani Nadworni* dicti, quales fuiſſe legimus; Dobeslaum Puchała. (*) Caſtellanum Premislienſem 1411. Joh. *Tworowski* Palatinum Podoliæ 1547. Florianum *Zebrydowski* Lublinenſem 1564; Stanislaum *Leſniowski* Czernenſem, 1566; Florianum *Zamoyski* Chelmenſem 1572, Johannem *Zborowski* Gneſnenſem 1576. Caſtellanos, ſed poſt obitum demum Ludovici, prout id patet, ex adſcriptis Annis.

His

(*) Hic Dobeslaus Puchała; ſtemmatis Wieniawa, unus ex Majoribus Familiæ Leſzczynianæ, non legitur in Corona Poloniæ p. 273. at Ducem Curiæ fuiſſe, conſtat ex Cromero, p. 277. Paproccio, II, p. 422. & Okolſcio III. p. 295.

His annumerat R. P. *Nieſiecki*, (r) Nicolaum *Zebrzydowski* Palatinum Lublinenſem, eumque fuiſſe ultimum *Ducem Exercituum Curiæ* putat. *At* neſcio, quo pacto id dici poſſit. Ejus enim Epitaphium quod hic citatur (& reperitur in *Starovolſcii* Monumentis Sarmatorum, (s) ac apud *Okolſcium* (t) habet expreſſe *eum fuiſſe, primò Capitaneum G. Cracovienſem; Brevi Palatinum Lublinenſem, tum Ducem Militiæ S. R. Majeſtatis, brevi Supremum Marſchalcum; Ad extremum Palatinum Cracovienſem.* Hoc itaque præſuppoſito, cùm nonniſi A. 1589. palatinatum Lublinenſem aſſecutus, ac (prout id colligitur ex ordinatione Zamoſcianâ, quam uti Palatinus, hoc Anno ſubſcripſit) Mareſchalcatum vero Regni A. 1596. (ſui Prædeceſſoris Procopii *Sieniawski* emortuali) proinde, inter Annum 1589. & annum 1596. *Dux Militiæ S. R. M.* fuiſſe cenſendus eſt; & ita, non inter *Duces Curiæ* legendus; ſed potius inter Duces Exercituum Regni Campeſtres, Nicolaum videlicet *Sieniawſcium*; & Stanislaum *Zotkiewſcium*, medius reſtituendus eſt. (u)

(r) p. 273.
(s) MS. 654.
(t) II. p. 564.
(u) p. 276.

Singuli illi præmemorati *Duces Exercituum Curiæ*: (ſolo *Dobeslao Puchala* excepto) nonniſi Sigismundi I. & Auguſti I. temporibus floruerunt. Jam vero *Campi Ductorum* munus (vulgo *Hetmani Polni*) nonniſi circa A. 1539. initium ſumpſit, & quod ante Annum 1520. hæc Dignitas nondum in uſu fuerit, exinde luculenter evincitur, quod tum primum, pro Expeditione Pruſſicâ, *Secigniovio*; Titulus *Ducis Campeſtris* cum plenâ *Ducis Exercituum Regni* authoritate collatus fuerit, eò quod, Nicolaus *Firley* Dux Exercituum protunc, ob gravem,

quo

quo afflictabatur morbum, perſonaliter ſe ſiſtere haud valeret, (prout habet ex Metrica Regni. R. P. Caſpar Nieſiecki.) w)

(w) Ex Metrica Regni R P. Nieſiecki Cor. 274.

Quam effrons igitur Commentum nobis Commentator objicit? dum Raphelem *Granowſcium*, Ducem Exercituum Regni vocat Ao. 1471. (quo, nec Duces Curiæ, nec Duces Campeſtres, nec Duces Exercituum ſupremi habebantur) quivis facile, ex hoc trino impoſſibilitatis nexu deprehendet.

Tollit verò, omne circa id dubium, omnium noſtratium Hiſtoricorum authoritas, quorum ſinguli concorditer, nullâ Raphaelis *Granowſcy* factâ mentione, Regimen Exercituum tum tenuiſſe, Sandivogium de Subino, Capitaneum Cracovienſem, aſſerunt. (**)

Ut melius ac luculentius pateat, quam perbelle nobis meras nugas garriat novus iſte veterator, produco primum Relationem hujus Expeditionis Ruſſicæ ab illo contextam, deinde verò eam, quam citatus ab ipſo in margine *Miechovita*, protulit, ut *oppoſita, contrà ſe poſita magis eluceſcant.* En Relationem commentatoris.

„*In illâ temporum calamitate, Lithvani, Tartari & Boruſſi,* „*hoſtili impetu, cunctas Poloniæ oras, igne ferroque vaſtabant. Quibus malis perculſa Regina Mater in Pannoniam perrexit, filioque* „*Ludovico perſvaſit, ut* 15000. *cataphractorum, in ſubſidium Poloniæ ex* Hungariâ *transmitteret, quorum adventum præſtolabatur* *San-*

(**) Dlugoſſ. p. 35. Micchov. p. 252. Cromer. p. 228. Pol. p. 291. Herburt. p. 186. Neugeb. p. 218. Guagnin. p. 83. Strykowski. p. 457 Bielski, p. 249.

*Sandeci (w Sądczu) ſupremus Exercituum Regni Dux Raphael* "
*Granowski Capitaneus Sendomirienſis, eum numeroſâ Poloni Exer-* "
*citûs manu, has verò acies, adveniens Ludovicus in duas diſper-* "
*tivit turmas, Polonas cohortes in Tartaros miſit, ipſeque cum Hun-* "
*garicis auxiliaribus Copiis Belſcum movit, ubi* 12000. *Litvano-* "
*rum internecione delevit, ſupremus verò Exercituum Regni Dux* "
*Granowski, ad Braclaviam cum Tattaris prælium commiſit, eo-* "
*rumque* 7000. *fudit, noſtrorum vix* 2000 *deſideratis, carò tamen* "
*hæc victoria conſtitit Granovio, trino enim defixo ſpeculo ſaucia-* "
*tus eſt; Boruſſi verò devaſtatâ Cujaviâ, in terras ſe ſuas recepe-* "
*ruut.*" Hucusque Commentator. At en! jam ad efforman-
dum parallelum, genuinam, ac à citato in margine per Com-
mentatorem *Miechovita,* (x) expreſſam relationem. (x) l. 4. c. 31. p. 252.

„*Duces Lithvanorum Keiſtut, Jagello, Vitoldus, ex Troki,* "
*ex Vilna, ex Grodno, item Lubardus ex Lucko, & Georgius ex* "
*Betz, per vaſtas ſolitudines Terræ Lublinenſis, ſilenti & citato ag-* "
*mine usq; ad fluvium San,* 2. *Novemb. pervenerunt, univerſamq;* "
*oram inter Iſtulam & San, uſque ad Tarnow vaſtaverunt - - -* "
*Regina poſt paucos dies e Cracovia in Hungariam triſtis rediens,* "
*filio ſuo Regnum Poloniæ iterum gubernandum reſignavit. Ludo-* "
*vicus autem, vaſtationem terræ Sendomirienſis ulturus in Litva-* "
*nis, anno ſequenti, per Alpes Sanocenſes, cum copiis Hungarorum,* "
*verſus Sendomiriam venit, & confluentibus ad illum Baronibus Po-* "
*loniæ, videns Copias validas, Cracovienſes & Sendomirienſes milites,* "
*ſub Ducatu Sandivogii de Subino, tunc Cracovienſis Capitanei, ad ex-* "
*pugnandum Caſtrum Chelmenſe transmiſit, Ipſe verò cum reſiduis,* "

„ *verſus Belz perrexit. Et Cracovienſes quidem ac Sendomirienſes*
„ *exercitus, expugnato infra 8. dies Caſtro Chelmenſi, inſuper & aliis*
„ *Caſtris, videlicet Grabowiec, Hrodlo, Sevoloſz expugnatis, ad Regem*
„ *Ludovicum, in obſidione Caſtri Belz commorantem pervenerunt. Ubi*
„ *Keiſtuth Dux Litvaniæ, ſub ſalvo conductu introductus, pacem his*
„ *conditionibus compoſuit: Ut captivis, quos Lituani cæperant reſti-*
„ *tutis, Georgius Dux Caſtrum Belz Regi daret, & gratiæ illius ſe*
„ *devoveret, deditione itaque Caſtri factâ, Ludovicus Rex Duci Ge-*
„ *orgio Caſtrum Belz obligavit, aliudque Caſtrum Lubaczow adje-*
„ *cit, & centum marcas annui cenſûs in Bochnia, ad vitæ tempora*
„ *inſcripſit, ut Regi Regnoque fideliter inſerviret.*

Conſulat hic quicunque volet, ſingulos Hiſtoriæ Polonæ Scriptores, nempe, Dlugoſſum (y) Cromerum (z) Herburtum (a) Neugebauerum, (b) Bielski, (c) Guagninum, (d) Strykowskium (e) illosque inter ſe, locis notatis conferat, & certè haud inficias ibit, Miechovitæ relationem, ne latum quidem ungvem ab eis diſcedere. Cuine igitur potius fidem præſtiterim? omnibusne ſuprà memoratis Polonis Hiſtoriographis, an ſoli & unico Commentatori? Erit omnino illis magis annuendum; quot verò vicibus, aliquot in lineolis hallucinatus ſit iſte, mecum paululum conſiderare, ne graveris.

(y) pag. 35.
(z) 228. Pol. 291.
(a) p. 186.
(b) p. 218.
(c) p. 249.
(d) p. 83.
(e) p. 457.

1.) Commentator refert, cum Litvanis Tartaros quoque & Boruſſos Poloniam vaſtâſſe; hic ne jota quidem de illis.

2.) Commentator dicit, illos vaſtâſſe cunctas Poloniæ oras, ex Hiſtoricis verò conſtat, Sendomirienſem tantum

Tra-

Tractum, illamque oram, quæ Tarnoviæ limitropha eſt, quamque Iſtula & San alluunt, fuiſſe depopulatas.

3.) Refert ille, Reginam Matrem Regi Filio perſvaſiſſe, ut 15000. cataphractorum in Poloniæ ſubſidium transmitteret; credibile verò eſt, Reginam Matrem, ex quo Filio Regnum hoc gubernandum reſignâſſet, minime res Polonas curâſſe.

4.) Affinitate nominis deluſus, *Sandecum*, loco *Sanoci* poſuit.

5.) Locum Caſtrametationis dicit Sandecum, fuit autem Sendomiria, uti Miechovita habet, *per Alphes Sannocenſes, verſus Sendomiriam venit*, & cum eo cæteri omnes Hiſtorici concordant.

6.) Narrat, Ducem Exercitûs Poloni cum copioſâ manu, exſpectâſſe adventum auxiliarium Copiarum, ex allegatis verò Hiſtoricis conſtat, Ludovicum, per Domaratum, univerſam Nobilitatem convocâſſe Sendomiriam, & nonniſi poſt adventum ſuum, diſcriminato exercitu, partem ejus Regimini *Sandivogii* commiſiſſe.

7.) Ait Polonas cohortes, contra Tartaros miſſas, at ex dictis Hiſtoricis conſtat, ad expugnendum Caſtrum Chelmenſe ablegatas fuiſſe.

8.) Aſſerit, Ludovicum, 12000. Lithvanorum ad Belſcum internecione delêviſſe at ex omnibus ſupra-recenſitis Hiſtoricis conſtat, rem ne ad certamen quidem deveniſſe; Ludovicus enim caſtrum Belſenſe ſitu magis quam arte munitum, ratus fame ſaltem ad deditionem pellicipoſſe, in ejus obſidione,

ne perſeverandum duxit, donec Keiſtuth Dux Litvaniæ, Caſtra Regis, ſub ſalvo conductu ingreſſus, ex hoſte mediator factus pacem certis conditionibus compoſuerit.

9.) Fabulatur, Granowſcium ſupremum Exercituum Regni Ducem, ad Bracłaviam cum Tartaris prælium commiſiſſe, eorumque 7000. fudiſſe, noſtrorum vix 2000. cœſis omnes veri Hiſtorici altè memorati referunt, Exercitum Cracovienſem & Sendomirienſem, Duce Sandivogio de Subino; intra 8. dies Caſtrum Chelmenſe expugnâſſe; nec non Grabowiec, Hrodlo, ac Sevoloſz.

10.) Comminiſcitur Ducem Exercituum in hac Expeditione trino defixo ſpiculo ſauciatum fuiſſe; At nihil tale referunt Hiſtorici.

11.) Addit denique Commentator, Boruſſos, devaſtatâ Cujaviâ in terras ſe ſuas recepiſſe. Sed uti de incurſitatione; ita & de abſceſſu illorum, altum apud Hiſtoricos ſilentium.

Subticeo cætera levioris momenti errata; ſufficit enim mihi, in unicâ hujus expeditionis delineatione; totidem ferè falſitates, hallucinationes, quin mendacia demonſtraſſe, quot ei deſcribendæ adhibitæ ſunt à Commentatore lineæ; ita, ut quod de optimo illo Imperatore dicebatur, *nullam apud ipſum eſſe diem ſine lineâ*; jure meritò de eo dici queat, *nullam apud ipſum eſſe lineam, ſine falſi caligine, ſine commento*: Meſſis adeſt, proſequamur ulterius; & iterum Narrationem Hiſtoricorum de Triumviratu Polono, narrationi Commentatoris opponamus. Hujus ſequentia ſunt Verba.

„ *Ludovicus, conſtituta in diverſo ſtatu Republicâ, nihilominus*

*Duci*

*Duci Oppolienſi commiſit gubernium cunctarum cauſarum & judi-“ ciorum Poloniæ, adjunctis ipſis Dobko de Kurozwąk Caſtellano Cra-“ covienſi, & Sendivogio de Subino Palatino Lublinenſi. Quibus ita“ conſtitutis, in Hungariam perrexit, ibique Matrem ſuam Eliſabe-“ tham jam è vivis ereptam Albæ-Regiæ reperiit.“* Ita Commen-tator, ſinguli verò Hiſtorici, maxime *Dlugoſſus*, (f) ita ſupra- (f) p. 36.
dicta recenſent.

*In hunc modum* (1377.) *Ludovicus, rebus Ruthenorum ac“ Litvanorum compoſitis, itinere quo venerat in Hungariam redit* -“ - - (g) *At* (1378.) *commotionibus variis, quæ faciem propinquæ“* (g) Idem 39.
*ſeditionis portendebant, propter Regis longè diſtantis abſentiam in“ Poloniâ aſſidue creſcentibus, Ludovicus proviſionem aliquam, (de“ quâ à Proceribus frequentibus litteris & nunciis vexabatur) impen-“ ſurus, Vladislaum Oppolienſem Ducem, ad gubernandum Regnum,“ cum plenâ & extensâ authoritate transmittit. Verum Proceres, in“ Vislicia & Gneſnâ conventu (Dominicâ Lætare) habito, non ſe ejus“ Regimini ullo pacto permiſſuros, conformiter diffiniunt; ſpectatæ igi-“ tur virtutis viros, ad Ludovicum in Hungariam transmittunt, qui“ Rege ad Viſchegradum offenſo, Eum enixè rogant; ne in eorum“ Regni Ludibrium, juriumque contemptum, Duci Oppolienſi, eos pa-“ rere cogat, cum illius Regimen non eſſent quoquomodò paſſuri. Eâ“ Legatione Rex auditâ, rebellionem aliquam veritus, Ducem Oppo-“ lienſem à gubernatione revocat, & per Patentes Litteras Regimen“ illius reſcindit* - - - (h) *Mox* (1381. 29. *Decembris*) *excedente“* (h) Idem 48.
*Matre Regina Eliſabethâ, Ludovicus novum & juſtiorem in Re“ gno*

*gno Poloniæ ſtatum (qui quaſi Matre ſuperſtite perveniri non poterat) efformaturus, Proceribus Conventum apud Budam, pro medio Quadrageſimæ indicit, ad quam dum frequens numerus ex Poloniâ conveniſſet, poſt plures deliberationes & Tractatus, paucis ſuggerentibus, pluribus implorantibus decretum eſt, ut apud Zawiſzam Epiſcopum, (ejus fratrem germanum) Dobeslaum de Kurozwanki Caſtellanum; & Sandivogium de Subino Palatinum Caliſſienſem & Capitaneum Cracovienſes, vicariatus & adminiſtratio totius Regni conſiſteret.* " Hæc Dlugoſſus, & cum eo cæteri omnes concorditer Hiſtorici, maximè verò, coœtaneus Scriptor *Anonymus* Archi-Diaconus Gneſnenſis, (i) *Cromerus* (k) & *Bielski*, (l) Quodſi his major præ Comentatore adhibenda eſt fides, videamus pauliſper, quot iterum ille vicibus, in hâc brevi Narratiunculâ pertexendâ, ſit hallucinatus.

(i) Anon. in Corp. Somersburg. t. II. p. 120. & 124.
(k) pag. 229. a. & 231. a.
(l) p. 253. 254

1.) Videtur innuere, Ludovicum ante ſuum in Hungariam abſceſſum Duci Oppolienſi Regimen Poloniæ commiſiſſe, at fide commemoratorum Hiſtoricorum conſtat, eum nonniſi anno elapſo, commotionibus variis, propter ſui abſentiam aſſiduè creſcentibus, à Proceribus frequentibus eà propter Litteris & Nuntiis exagitatum, id effeciſſe.

2.) Commentator miſcet quadrata rotundis, cum Duci Oppolienſi, in adjumentum Regiminis, Dobeslaum & Sandivogium ſuperadditos fuiſſe narrat: imo verò ex omnibus & ſingulis Hiſtoricis eruitur, Dobeslaum & Sandivogium, non prius Regimini admotos fuiſſe, quam, ex quo, Dux Oppolienſis amoveretur. Audita namque legatione quâ regimen Ducis Oppolienſis improbabatur, neminemq; ei parere velle declarabatur, rebellionem aliquam veritus Ludovicus, eum à gubernatione

tione revocavit, & Anno demum 1380. mediis Quadrageſimæ, Conventu ad Budam coacto, Triumviratum illum pro adminiſtratione totius Regni maleſano conſilio efformavit.

3.) Commentator dum inſulſe Duci Oppolienſi in Triumviratu locum aſſignat, (etſi is nonniſi in locum Ejusdem inſtitutus fuerit) primum principalemque hujus Triumviratûs virum, annumerare prætermiſit. Is fuit Dobeslaus frater germanus Zawiſza de Kurozwancki Epiſcopus Cracovienſis, majori præ cæteris pollens auctoritate, nam præter Caſtellanatum & Palatinatum Cracovienſes) quos ſibi peculiari diplomate reſervaverat Ludovicus) cuncta Regni munera & officia, pro lubitu & arbitrio conferendi habebat poteſtatem, teſte *Dlugoſſio* (m) *Miechovita* (n) & *Cromero*. (o)

4.) Commentator Sandivogium de Subino, qui fuit Palatinus Caliſſienſis, (uti ſinguli præmemorati Hiſtorici locis citatis, & inſuper *Paprocki* (p) habet) vocat Palatinum Lublinenſem; is verò Palatinatus nonniſi 94. abhinc annis (nempè A. 1474.) à Caſimiro III. ex reſciſsâ Palatinatûs Sendomirienſis parte inſtauratus eſt, notante *Cromero* (q) *Bielſcio* (r) & *Strykowſcio*. (s)

5.) Commentator ait, Ludovicum adhuc dum in Poloniâ Triumviratum inſtituiſſe, ac tum demum in Hungariam rediiſſe, ex antedictis verò patet, eum, poſt ſuum in Hungariam regreſſum, Budæ in Conventu Regni id effeciſſe. (t)

6.) Commentator innuere videtur, ſtatim poſt illam Ruſſicam Expeditionem, à Ludovico hunc Triumviratum inſtitutum fuiſſe, id verò, quatuor nonniſi ab hinc annis evenit

Expe-

(m) p. 49.
(n) l. 4. c. 31. p. 253.
(o) Pol. 294.
(p) Her. pag. 55.
(q) l. 28. p. 415. b.
(r) 4. & 462.
(ſ) p. 653.
(t) Cromer. Pol, 294.

Expeditio enim illa, Anno 1377. peracta eſt; Comitia verò Budenſia (in quibus hic Triumviratus inſtaurabatur) Anno demum 1381. circa medium Quadrageſimæ celebrata ſunt.

7.) Denique Commentator narrat, Ludovicum in Hungariam reducem, Eliſabetham Matrem haud reperiiſſe ſuperſtitem. At ex *Dlugoſſo*, (u) & aliis omnibus Hiſtoricis conſtat, Ludovicum A. 1377. Hungariam repetiiſſe, Eiſabetham verò, nonniſi A. 1381. 29. (*) Decembris fatis conceſſiſſe.

(u) pag. 48.

Ecce verò iterum habes, in 5. Commentatoris liniolis, ſeptem craſſa & palpabilia Commenta. Sed nondum horum finis. Progreditur ulteriùs & narrat: „ *Nobilitàtem Polonam* „ *jugum hujus Ttiumviratûs ferre neſciam, miſiſſe è medio ſui in* „ *Hungariam Legatos, viros conſpicuos Rytwianſcium & Mią-* „ *skowſcium, qui Ludovicum enixè obſecrarent, ne Officiis judiciisq;,* „ *alienigenas Legum Patriarum ignaros præſiciat, & hâc legatione* „ *Regem offenſum nihilominus motus aliquos pertimeſcentem, ad fu-* „ *tura Comitia, negotium ejuscemodi diſtuliſſe.* “ Quot verò hic iterum, fallacis mendacia pennæ.

(1. Hæc Legatio non abrogandi Triumviratus, ſed revocandæ Ducis Oppolienſis authoritatis cauſâ ſuſcepta eſt: prout teſtatur Dlugoſſus, (w) his verbis: *Poloni in Viſlicia & Gneſnâ habito Conventu, ſpectatæ virtutis viros de Baronum & militarium numero lectos, ad Ludovicum Regem in Hungariam transmittunt.* Et adhuc luculentius, Scriptor coætaneus Anon. Archi-

(w) pag. 39.

(*) Dlugoſſo fide dignior, utpote coætaneus Anonymus Archi-Diaconus Gneſnenſis habet 21. Decembris. In Corp. Somersb. II. 124.

Archi-Diaconus Gneſnenſis, (x) cujus verba ita ſonant: *Ludovicus Duci Vladislao Regnum Poloniæ eodem Anno* (1378) *commiſerat gubernandum,* - - - *quem cum* Proceres *Majoris* Po*loniæ, habitâ Conventione die Dom. Lætare, in Civitate Gneſnenſi, ſuſcipere recuſarunt, & ad Dominum Regem & Reginam ſeniorem duos Milites transmiſerunt ſupplicantes, ut nullum Ducem in* Præ*fectum eorum præficere deberet, de quo Dux præfatus ſatis malè fuit contentus: promiſerat enim Dominus Rex* Polonis, *nullum Ducem præficere eis in Capitaneatu, & litteris ſuis firmaverat, prout & fecit* &c.

(x) In Corp. Sommersbergii II. 120.

2.) Id ipſum innuere videntur ipſa Comentatoris verba, *alienigenas, Legum patriarum ignaros* quæ defactò reſpiciunt Ducem Oppolienſem, Principem fere exoticum, minimè verò Zawiſſam & Dobeslaum Kurozwęckios, ac Sandivogium Subinium, qui primas in Regno potiti curules, (Epiſcopatus ac Caſtellanatûs Cracovienſis tum Palatinatus Caliſſienſis) nullatenus alienigenæ ac Legum patriarum ignari dici potuiſſent. Et ita Commentator ſibi ipſi inſulſo ac infiſceto modo contradicit.

3.) Dixerat ſuperius, Ludovicum, commiſſo Duci Vladislao Poloniæ gubernio, ſtatim in Hungariam perrexiſſe, ibique Matrem Eliſabetham è vivis ablatam reperiiſſe; Patet autem ex allegatis Archi-Diaconi Gneſnenſis verbis, (*) ibi *ad D. Regem & Reginam ſeniorem transmiſerunt,* Eliſabetham adhuc vixiſſe, cum Vladislaus gubernio moveretur. Et ita iterum manifeſta contradictio apparet.

(*) Ibidem.

4.) Nomina horum Legatorum, licetſi à noſtratibus Hiſtoricis ſilentio ſint obvoluta, propalare nihilominus, ſeu verius comminiſci non dubitavit Commentator. Utrumque enim nomen pro lubitu confictum fuiſſe, facilè ambigo. Quod *Rytwianſcium* attinet, duos equidem ejus nominis *Derslaos Rytwianſcios* in Hungariam miſſos fuiſſe, apud Paprocium (y) lego: Primum (qui poſtmodum fuit Caſtellanus Cracovienſis) ad introducendum in Regnum Hungariæ Vladislaum A. 1471. de quo teſtatur *Cromer.* (z) Alterum verò prioris filium, Palatinum Siradienſem ad controverſias cum Hungaris diſceptandas & componendas, de quo & *Molſki.* (a) At cum nullum de quocunque Rytwianſcio, Ludovici temporibus in Hungariam miſſo, vel apud *Paprocium*, *Molſcium*, vel apud quempiam Hiſtoricum, veſtigium reperiam, facilè in eam opinionem deducor, Commentatorem, iſtud *Rytwianſcii* nomen Legationibus Hungarici percelebre, ad majorem fabellæ conciliandam authoritatem, cunctis Hiſtoricis ſubticentibus, hîc ſponte ſuâ inſeruiſſe.

(y) Herb. p. 90.

(z) pag. 534. l. 27.

(a) p. 320.

5.) Quod alterum Legatum ſpectat, eum diverſimodè nuncupatum reperio, & quidem apud Koludzkium legitur *Miąſkowſki*, (b) in *Chwalkowſcii* (c) memoriali Pruſſiæ *Miaſkowſki*, in 6. Mſptis Codicibus à me collatis *Maſzkowſki*; Et vel inde hoc nomen à Commentatore ſimiliter confictum eſſe, conjicio.

(b) Thron. p. 86. 3. Ed.

(c) Memorial (174)

6.) De cætero; prout circà motivum Legationis, ejus tempus, ac nomina Legatorum, ita & circa Legationis eventum more ſolito hallucinatur Commentator, dicit enim;

Ludo-

Ludovicum ad futura Comitia, negotium quod promittebant, diſtuliſſe. Verùm *Dlugoſſus* (d) & cum eo cæteri omnes Hiſtorici, maximè verò coætaneus Archid. Gneſnenſis (e) aſſerunt, ex nunc, Ludovicum, (eâ Polonorum Legatione auditâ) rebellionem, ad quam nonnullorum animos, novitati hujusmodi vehementer infenſos ſpectare didicerat, metuentem, Ducem Oppolienſem à gubernatione Regni revocâſſe, ac per patentes litteras hisce Legatis tributas, regimen illius (à quo Dux ingenti dolore & rubore, Polonis non Regi vehementer ſuccenſus, amotus eſt) reſcidiſſe.

(d) pag. 39.

(e) In Corp. Sommersb. II. 120.

Proſequitur ulteriùs Commentator, & nova figmenta, nugamenta, ſuperioribus accumulat commentis. *Ludovicus* " (ait) *dimiſſis Polonis Legatis, tantisper animo volutat, quomodò,* " *Diſtrictibus Halicienſi, Camenecenſi, Sanocenſi, Premislienſi, à Po-* " *loniâ avulſis, eos Regno Hungariæ adjicere valeat, idcircò, pro Ar-* " *chiepiſcopatu Halicienſi noviter à ſe erecto, Romæque inaudito,* " *quem Petro Rzeſzovio cum optimâ dote contulerat, Legatos, qui* " *Sanctæ Sedis aſſenſum ad id peropportunum obtineant, mittit* " Quantus iterum, his paucis in verbis, achronologiarum, analogiarum, falſitatum acervus? Evolvamus per ſingula.

1.) Commentator innuere videtur, Ludovicum, non aliud in prætensâ Halicienſis Archi-Epiſcopatûs fundatione habuiſſe motivum, præter præmemoratam Diſtrictuum Ruſſiæ à Poloniâ avulſionem, citatque in margine (f) Bielſcium. Hic verò Scriptor, *Dlugoſſum* & *Cromerum* ſecutus, dicit expreſſe, Ludovicum habitâ ratione tam numeroſæ in his oris acceſſionis populi Rhuteni ad fidem Catholicam, miſiſſe, cum

(f) Bielski 250.

G 2 poſtu-

poſtulatione ad Pontificem Rom., ut numerum Epiſcoporum augeat, exindeque fundaſſe Epiſcopatus *Premislienſem* & *Vladimirienſem*, tum & Archi-Epiſcopatum *Halicienſem.* Non igitur Regionis ſed Religionis cauſam, in dicta fundatione Ludovicum moviſſe dicendum eſt. Malè Bielſcium intellexiſſe videtur Commentator. Ille enim, diſtinctim & diſcriminatim refert; Primò, Ludovicum Ruſſiæ Epiſcopatus auxiſſe, motivo accedentium in dies ad fidem Catholicam Ruthenorum; Deinde, Munia & Officia Ruſſiæ quævis, ſolis conferendo Hungaris, tali modo hujus Provinciæ à Polonia avulſionem tentâſſe. Commentator verò, *diſtinctam diſtinctorum rationem* haberi, planè ignorans, *fecit utraque unum*, & duas diſtinctas cathegorias in unam ridiculè coëgit, ac ità ſaluberrimis Chriſtianoque Principe dignis Ludovici conatibus, politico-ſceleratum attexuit motivum. Equidem non diffiteor idem *Sarnicium* (g) innuere videri, at nos lubentius *Dugloſſum* & *Cromerum* ſequi malumus, nam *dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ*. *Dugloſſus* (h) autem ita habet: *Ludovicus pro comperto habens, Ruthenorum Regiones Catholicorum numero & multitudine refertas eſſe, obtinuit, quod Halicienſe oppidum Archi-Epiſcopali, Premislienſe Epiſcopali, pro fidei & Religionis Orthodoxæ augmento, & Catholicorum in terris Ruſſiæ degentium profectu, fuit inſignitum, excellentia & honore.* Cromerus (i) vero ita: *Cum Ludovico uber & fertile Ruſſiæ ſolum placuiſſet, & frequentari tam à Catholicæ fidei cultoribus animadverteret, effecit, ut duæ ibi Cathedræ Epiſcopales Premislienſis & Vladimirienſis, Haliciæ verò Archi-Epiſcopalis*

(g) Sarnic. 1151. 2. Tomi Dlugoſſiani.

(h) pag. 26.

(i) l. 13. p. 228

*lis inſtitueretur.* Conferat qui volet *Dlugoſſum* (k) *Cromerum* (l) ac *Sarnicium*, (m) & facile erroris fontem fomitemque deprehendet. *Dlugoſſus* enim, poſtquam de horum Epiſcopatuum fundatione egiſſet, decem paginis inferius, intentum Ludovici de Ruſſiâ Poloniæ avellendâ, deſcripſit. *Cromerus* verò, qui Dlugoſſo preſſius & compendioſius ſcribit, has duas Cathegorias, connexè & cohærenter (diſtinctim tamen) expreſſit. *Sarnicius* denique utriusque Epitomator, viâ compendii procedens, utraque unum, nempè avellendæ Ruſſiæ intentum, erigendorum Epiſcopatuum motivum cauſavit, eumque hìc dubio procul ſequitur Commentator, & *dum cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt.*

(k) p. 26 & 37
(l) p. 228.
(m) p. 1151.

2.) Audacter Commentator, de dicta Archi-Epiſcop. Halicienſis erectione narrans, ad majorem ſuis figmentis conciliandam fidem, in margine citat *Miechovitam.* Sed vel inde pateſcit, eum non ex aliquo Mſpto vetuſto Codice, hanc Transactionis Glinianenſis narrationem deſumpſiſſe, ſed potius, variegatos veri falſique centones conſuendo, partim aliqua ex ſe depromendo, partim alia ex Claſſicis Scriptoribus, ſimul & cum eorundem erroribus excerpendo, in unum conflâſſe. Nam, quod *Miechovitam* attinet, à centum & quod excurrit annis, craſſum ejus errorem, cenſoriâ redarguit virga Jacobus *Scrobiſſevius* Canonicus Leopolienſis, in *vitis Archi-Epiſcoporum Halicienſium & Leopolienſium*; quod ut manifeſtius appareat, examinemus Eos duobus præſertim in locis. Primò itaque Libro 4. cap. 26. ſui Chronici, hæc habet: *A.* 1361. *Rex Caſimirus per ſuos Oratores Avinionem miſſos, Eccle-*

(n) c. 8. p. E. 3.
(o) Miechov. p. 242.

*ſiam Metropolitanam, in Civitate Leopolienſi, per Urbanum VIII. 8. Id. Aprilis, ad dotationem ſufficientem erigi & fundari obtinuit, quod & factum eſt. Præfatus enim Archi-Epiſcopus Gneſn. Jacobus Swincka, Litteris ſibi præſentatis, perſonaliter Leopolim tranſiit, & ex Parochiali Eccleſiâ Leopolienſi, inſpectante Caſimiro Rege, & univerſa ejus militiâ, Archi-Epiſcopatum erexit, primumque Archi-Epiſcopum dictæ Sedi Chriſtinum, virum Nobilem inſtituit & conſecravit.* Quatuor hic errores à Miechovitâ comiſſos cerno. (*Primum*) dum ait, Caſimirum Metropolim Ruſſiæ Leopoli erexiſſe, qui illam Haliciæ conſtituit; (*Alterum*) cum Chriſtinum primum Archi-Epiſcopum Leopolienſem vocat, qui primus Halicienſis fuit, niſi denominatio prioris à poſteriori intelligatur. (*Tertium*) dum Jacobum Swinka, in præſentiâ Regis Caſimiri, Chriſtini conſecratorem fuiſſe dicit, cum potiùs, Jaroslaum *Skotnicki* dicere debuiſſet, prout & aſſerit *Damalewicz* (p) in vitis Antiſtitum Gneſnenſium. Nam *Swinka*, teſtante eodem Damalevicio (q) & Privilegium ejus Landenſe A. 1313. in die S. Marci datum allegante, obiit A. 1313. (non autem 1301. ut perperam ex Clemente *Janicio*, exſcripſit Scrobiſſevius, (r) neque 1304. 4. Martii prout notatum reliquit *Dlugoſſus*, (s) proinde, nec initium Regiminis Caſimiri attigit, qui A. 1334. 25. Apr. inauguratus eſt a *Janislao* Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, qui præciſe Jaroslao præceſſerat, Borislao vero ſucceſſerat, Swincæ Succeſſori. Quomodò enim Jacobus *Swinka*, in præſentia Caſimiri Regis Chriſtinum conſecrare potuiſſet, qui antequàm Caſimirus Regimen

(p) Damalewicz Gneſn. 182.

(q) Idem p. 170.

(r) p. E. 3. b.

(s) I. 909.

men capeſſeret, in vivis eſſe deſiit. (*Quartum*) cum dictam erectionem ad A. 1361. reponat, Urbanus autem V. nonniſi A. 1362. ad Pontificatum evectus fuerit. Verùm, cum expreſsè dicat, Caſimirum per eosdem Oratores Avinionem miſſos, dictam erectionem, ſimul ac Studii Cracovienſis confirmationem petiiſſe & obtinuiſſe, dicta verò Cracovienſis confirmatio ab eodem ſynopticè relata, præferat talem datam, *Datum Avinione Kal. Septemb. Pontif. noſtri Anno* 2. (qui debuit eſſe 1364. ex quò Urbanus A. 1362. Pontifex creatus eſt) certe eodem potius Anno 8. Id. Aprilis, dictam quoque erectionem ſubſecutam fuiſſe, haud incongruè colligo.

In craſſiorem adhuc impegit errorem Miechovita, (t) dum alio loco, nempe eodem libro 4. cap. 33. (*Dlugoſſum* u) ſecutus eſt & ita ſibi ipſi contradixit. *Ludovicus Rex eodem Anno* (1375) *ad Gregorium XI. miſſis Nunciis in Avinionem, Halicenſe oppidum Archiepiſcopali; Premislienſe verò, Chelmenſe & Vladimirienſe Epiſcopali honore inſigniri obtinuit, ad Metropolitanam Halicienſem Eccleſiam Jacobus Polonus fuit conſecratus, & ſedi ſuæ Eccleſia Græci ritûs fuit aſſignata.* Nonne vero evidens hic Miechovitæ contradictio apparet! loco enim præmemorato dixerat, Archiepiscopatum Leopoli per Caſimirum fundatum fuiſſe; Jam verò hic, alterum Haliciæ, a Ludovico erectum contendit. Præterea, longèa verò abeſt, cum Jacobum primum Archiepiſcopum Halicienſem vocat, qui nonniſi quintus (non quartus ut perperam habet *Scrobiſſevius,*) (w) numeratur, decimo Anno poſt obitum Ludovici aſſumptus: Ludovicus enim obiit Ao. 1382. Jacobus autem in Halicienſem Archiepiſcopum Ao. 1392. 28. Octob. conſecratus

(t) p. 257.

(u) p. 26.

(w) Scrobiſſ. E. 4.

(x) 14 p.289. ſecratus eſt, (ut habet Lucas (x) *Waddingus* in Annalibus Minorum.) Eo verò Anno 1375, quo *Miechovita* aſſerit, Ludovicum Haliciæ oppidum Archiepiſcopali honore inſigniviſſe, & *Jacobum* Archiepiſcopum conſecratum fuiſſe, *Antonius* in ordine ſecundus Metropoli Halicienſi præſidebat.

Ex hoc *Dlugoſſii* ac *Miechovitæ* fonte, eos perplexitatum rivulos manaſſe cenſeo, qui circa erectionem Metropolis Ruſſiæ, apud noſtros ſcriptores reperiuntur. Hi enim absque ulteriori indagatione, illos exſcribere non dubitaverunt. At omnium peſſimè noſter Commentator. Cum enim Miechovitam (y) in margine citet, vel priorem, vel poſteriorem ejus locum innuere videtur! at de priori dici non poteſt, nam ibi Miechovita Archiepiſcopatum Metrapolitanum Ruſſiæ, à Caſimiro fundatum eſſe aſſerit; hic verò Ludovico id adſcribit. Poſteriorem igitur locum (anteriori ſibi ignoto prætermiſſo) citare voluit? Quodſi ita eſt; errorem Miechovitæ ſuo errore truſit: nam cum ibi Miechovita primum Halicienſem Archiepiſcopum dicat *Jacobum*; (qui defactò quintus fuit) Commentator brabeum erroris ei ſurripere ſatagens, primum Archiep. Halicienſem aſſerit *Rzeſzovium*, qui vel nonus, (uti ex infra dicendis patebit) vel certe ſeptimus fuit, ſimulque poſtremus. Nam is ipſe, tertio ſedis ſuæ Halicienſis Anno, nempe Ao. 1413, Metropolitanam Dignitatem, Vladislao Rege inſtante, ex Haliciâ Leopolim tranſtulit; prout teſtatur *Dlugoſ.* (z) *Cromerus*, (a) & ex eis *Scrobiſſevius*. (b) Ac proinde, quem Commentator Archip. Halicienſem primum fuiſſe dicit, is certô certius ultimus fuit.

(y) p. 242. & 257.

(z) p. 315.
(a) p. 279.
(b) Scrobiſ. J. 3. b.

Ad

Ad majorem dictorum elucidationem opportunum judico, Archiepiſcoporum Halicienſium, usque ad Translationem ſedis Leopolim, hoc loco attexere ſeriem; ex quâ expungendos cenſeo, *Bernardinum I. de Crema, Bernardinum II.* & *Gerardum* (*) Etenim.

*A.* 1208. Bernardinum de Crema, Italum, Ord. Præd. Martyrii palmam adeptum Sedi Halicienſi præfuiſſe, ait *Bzovius.* (c)

*A.* 1217. Alium Bernardinum, itidem Ord. Præd. & ſimiliter Martyrii laureolam aſſecutum Archiep. Halicienſem recenſet *Okolski.* (d)

*A.* 1253. Gerardum, ex Provinciali Ruſſiæ Ord. Præd. ad Epiſcopatum Ruſſiæ aſſumptum dicunt, *Raynaudus,* (e) *Spondanus* (f) *Bzovius,* (g) quem Caſpar *Jongelinus* (h) Ordini Ciſtercienſi vendicat.

Verum, nusquam eos Archipræſuleam Dignitatem obtinuiſſe, luculenter demonſtravit R. P. *Nieſiecki* (i) ad quem brevitatis cauſâ remitto, & ex (k) *Scrobiſſevio* ſeriem indubitatorum Halicienſium Archiepiſcoporum, jam ſiſto. Agmen ducit. (Chriſtinus *de Oſtrowo* Ord. Minorum, (de quo *Vaddingus* (l) aſſumptus A. 1364. (non vero 1361. ut habet *Miechovita,* (m)

H *Biel-*

(c) Bzovius Propag. S. Hia. cap. 3. & 6.

(d) Okolski Ruſſia florida 57.

(e) Rayn T. 3. n. 43.

(f) Spond. n. 7.

(g) Bzov. Ann. Eccl. n. 12.

(h) Jongel. Purpura S. Bern.

(i) Nieſ. Corona Pol. p. 23.

(k) Scrobiſs. vitæ Leopol. ab initio ad pag. 1.

(l) Vadding. T. 4. p 290.

(m) p. 242.

(*) In Corona Poloniæ pag. 23. legitur, à Scrobiſſevio Antonii Senenſis Arch. Halicienſis circa A. 1230. mentionem fieri, verùm ibi dicitur tantum, ab Antonio Senenſi celebri Scriptore Ord. Præd. in ſuo hujus Ordinis Chronico in Ao. 1230. Berengarium Ord. Præd. vocari Archiep. Cracovienſem. Scrobiſs. p. F. 1.

(n) p. 235. *Bielski* (n) & *Scrobiſſevius* (o) ex *Dlugoſſo* & *Cromero*:)
(o) p. R. 2. Hunc ſecuti ſunt (2) *Antonius*, qui vixit A. 1375. (3) *Ma-
(p) Ruſſia flor. thias* A. 1377. (4) *Bernardus* Stemmatis Jelita, Ord. Mino-
57. rum (non Prædicatorum, ut habet perperam *Okolski*. (p) Poſt
(q) Corona p. hunc; præmemoratus R. P. *Nieſiecki*; (q) eruditiſſimus Stem-
25. (r) Herb. ſp. matographiæ Polonicæ Scriptor, authoritate *Paprocii* (r)
120. Diploma Vladislai Jagellonis allegantis fretus, annumerat in Anno 1406. *Petrum* quendam quod nomen iſtud in illo Diplomate legatur. Sed neſcio plane quomodò id ſtare poſſit, nam primò apud Paprocium ibi legitur ita: *Petrus Archi-Epiſcopus Leopolienſis A.* 1406: at nonniſi A. 1414. Sedes Halicienſis Leopolim translata eſt. Deinde prædictus Author
(s) H. 1. & R. (cum *Scrobiſſevio*) (s) Bernardum dicit A. 1391. obiiſſe; Jaco-
2. b. bum verò (ejus ex aſſe Succeſſorem) ex Actis Civitatis Leo-
(t) p. 37. l. 10. pol. ex *Dugloſſo* (t) & *Vaddingo* (u) conſtat A. 1392. die ſolis
(u) T. 4. p. 289 28. Octobris, de Eccleſiâ Halicienſi proviſum, & in Eccleſiâ Tarnovienſi, per Matthiam Premislienſem Epiſcopum in Halicienſem Archi-Epiſcopum conſecratum fuiſſe, ac nonniſi A. 1411. è vivis exceſſiſſe, (ut habetur in Ejus Epitaphio,
(w) Scrob. J. a *Scrobiſſevio* (w) relato. Quæ cum ita ſe habeant, quomodo
1. b. igitur, præter hunc *Jacobum* aliquis alius Archi-Epiſcopus Halicienſis dici poteſt ad A. 1406. cum Jacobum A. 1392. inauguratum ac 1411. demortuum fuiſſe, ex præallegatis authoritatibus liquidò conſtet? Credendum proinde, vel Paprocium nomen Præſulis ex ſuprâ dicto Diplomate male transſcripſiſſe, & pro *Jacobo Petrum* poſuiſſe, vel certè dicendum, illum Præſulem; utroque hoc nomine inſignitum fuiſſe, vel

denique

denique præſupponendum, Jacobum circa A. 1406. Archi-Epiſcopatum reſignâſſe Petro, & deinde adhuc ſex annis vixiſſe. Quod verò attinet denominationem *Leopolienſis Archi-Epiſcopi* Anno adhuc 1406. uſurpatam, etſi 8. nonniſi abhinc annis Sedes Halicienſis Leopolim translata fuerit, id ità intelligi crediderim, ut *cùm accingendus proximè pro accinčto habeatur*, Archi Epiſcopatum Halicienſem proximè Leopolim transferendum, jam ex tunc Leopolienſis denominationem ſortiri potuiſſe. Certè ex *Scrobiſſevio* (x) patet, per id tempus, quo Infideles & Schiſmatici Ducatum Ruſſiæ occupatum tenebant, determinationem ſtetiſſe, Haliciâ Sedem Metropolitanam Lemburgam ſive Leopolim transferre, tanquam ad locum tutiorem; & adhuc A. 1377. (prout Acta Civ. Leopol. teſtantur) exſtructum fuiſſe Templum Lemburgæ (alias Leopoli) pro Sede Metropolitæ. Imò ſupra num. 3. recenſitum *Mathiam*, jam *Archiepiſcopi Lemburgenſis* denominatione uſum fuiſſe, teſtantur tria Privilegia, Vladislai Ducis Oppolienſis, Ann. 1377. & 78. (apud Scrobiſſevium) in quibus expreſſa fit mentio *Mathiæ Archi-Epiſcopi Leoburgenſis*: Sed ad interruptam ſeriem jam redeo.

(x) Scrob. G. 2.

5.) Archi-Epiſcopus Halicienſis fuit *Jacobus*, (cujus Familiæ nomen, quod in doctiſſimâ lucubratione R. P. Nieſiecki (y) deſideratur, annotante *Waddingo*, (z) fuit *Ruchem de Wladonna*) nec officit, quod in ejus Epitaphio à Simone *Starowolſki* (a) in *Monumentis Sarmatarum* relato, hæc leguntur: *Jacobus Streporum Nobili Polonâ Familia* PRIMUS *Halicienſis Archi-Epiſcopus* &c. Nam illud ipſum Epitaphium,

(y) Korona 25

(z) T. 4. p. 298

(a) Starow. MS. 296.

(b) Scrobiſ. J. 2. 27. annis ante Starovolſcium, à *Scrobiſſevio* (b) *in vitis Archiepp. Halic.* (ex quo illud ſuperius allegavimus) deſcriptum, hac voce PRIMUS caret, & planè, diverſis verbis exprimitur, (prout cuivis pag. 296. Starovolſcii ac pag. J. 2. Scrobiſſevii confrontanti facilè patebit) unde mihi perſvaſum habeo, illo temporis interſtitio, hoc Epitaphium a PP. Ordinis S. Franciſci Leopoli ad S. Crucem, dum forte renovaretur, diverſis à veteri verbis exaratum fuiſſe, cumque illis forſitan per traditionem Patrum conſtaret, primum Archiep. Halicienſem ex Ordine S. Franciſci fuiſſe aſſumptum; pro majori ſui Ordinis illiusque Conventûs decore, hac unica voce PRIMUS additâ, quæ in veteri Epitaphio deerat, Jacobum pro primo Archiepiſcopo Halicienſi jactabundo conatu exhibere voluiſſe. Sed ſi iſti boni Patres, ſui Ordinis Chronicon, à P.

(c) IV. 290. Lucâ *Waddingo* (c) editum legiſſent, PRIMUM Archiep. Halicienſem, ex Ordine S. Franciſci aſſumptum Chriſtinum de Oſtrowo vocatum, facile deprehendiſſent. Jacobum excepit.

6) in Ordine, Nicolaus *Trąba* Anno 1411. aſſumptus

(d) l. 12. p. 312 & 315. (e) l. 17. p. 279 (f) Gneſn. 220. eodemque Anno Gnesnam translatus, teſte *Dlugoſſo*, (d) *Cromero*, (e) *Damalevito*, (f) in Gneſnenſibus, ac *Scrobiſſevio* (g) Eique tandem ſuffectus eſt in ordine.

(g) Scrob. J. 2. 7) Johannes RZESZOWSKI, qui ſedem Halicienſem

(h) Frydr. 119. Leopolim tranſtulit: P. Dominicus *Frydriechowicz* (h) in opuſc. S. *Hyacintus* intitulato recenſet *Wilhelmum Jordanum* Archiep. Halicienſem ad A. 1411. ſed perperam; conſtat enim ex præ allegatis teſtimoniis, Nicolaum Jacobo; Johannem verò immediate ſucceſſiſſe Nicolao; & apparet, eum ex uno

*Wil-*

*Wilhelmo* Ordinis Prædicatorum Epiſcopo, inficetâ reduplicatione binos efformare, alterum Archiep. Halicienſem, alterum verò primum Epiſc. *Camenecenſem*, qui re ipſa nec Camenecenſis fuit ſed potius *Caminenſis*, idque tantum à S. Sede deſignatus; ſed non admiſſus, uti infra dicetur, cum nobis de primo Epiſcopo Camenecenſi dicendum erit.

Superius annumerari deberet Nicodemus *Taranowſcius*, quem *Okolski*, Archiepiſcopum Halicienſem vocat, ejusque ſarcophagum plumbeum Halicii in quodam Templo repertum commemorat, ſed cum nullam, nec apud *Scrobiſſevium* in vitis Archiep. Halic. nec apud *Paprocium* in Stemmotographia Polonicâ ejus mentionem reperiam, neque annum quo Haliciæ ſedit *Okolſcius* annotaverit, prætereundum duxi. (i) Okolski I. 35.

Ex prædictis, ac ſupra recenſitâ ſcriptorum authoritatibus innixà Archiepiſcoporum Halicienſium ſerie patet evidenter, non à Ludovico, verum à Caſimiro adhuc ſedem Halicienſem fundatam fuiſſe Anno 1364, iſt eſt, ſex annis antequam Ludovicus Regimen Poloniæ capeſſeret, (nam nonniſi Ao. 1370. inauguratus eſt) primumque Archiepiſcopum fuiſſe *Chriſtinum*; prout habet, *Bielski* (k) verbis ex *Vapovio* tranſlatis, ac *Cromerus*, niſi quod *Cromerus*, (l) & ex eo *Herburtus* (m) ac *Scrobiſſevius* (n) pro Halicienſi Leopolienſem vocet; ſed ex *poſteriori fieri denominationem* vetus verbum habet, & quemadmodum, qui à primâ erectione *Smogorzevienſes* Epiſcopi erant & dicebantur, deinde *Byczinenſes*, nunc *Wratislavienſes*; qui olim *Cruſvicienſes*, nunc *Vladislavienſes*; qui du-

(k) Chron. Swiata p. 366. 2. Edit.
(l) 217. a. l. 12
(m) p. 175.
(n) Scrob. F. 3.

dum *Vlodimirienſes*, jam Luceorienſes Epiſcopi, à Translationis loco dicuntur & vocantur, ita primus Archiep. Leopolienſis *Chriſtinus* dici poteſt, qui primus Halicienſis fuit.

(o) l. 13 p. 228 b. Ita quidem excuſari potuiſſet *Cromerus*, (o) at rurſus paulo post *Dlugoſſi* errorem improbans, ſuum propalavit. Ita enim habet. *Cum Ludovico uber & fertile ſolum Ruſſiæ placuiſſet, & frequentari tam à Catholicæ fidei cultoribus animadverteret, miſſâ ad Gregorium XI. Legatione effecit, ut duæ ibi Cathedræ Epiſcopales, nimirum Præmisliæ & Vladimiriæ, Haliciæ verò Archiepiſcopalis inſtitueretur. Ita quidem Dlugoſſus ſcribit; ſed ſi priùs Metropolis Leopoli conſtituta fuit, (quemadmodum nos ſuperius, ex ejusdem Dlugoſſi ſententiâ prodidimus) Epiſcopalem Haliciæ conſtitutam eſſe, oportet. Una enim Archiepiſcopalis eſt in Ruſſiâ, & ea quidem Leopoli. Nos initio Leopoli, Epiſcopalem Cathedram regnante Caſiro inſtitutam fuiſſe exiſtimamus. Neque enim Archiepiſcopus usquam inſtituitur, qui nullum in ditione ſeu Provinciâ ſuâ Epiſcopum habeat, ſicuti tunc in Ruſſiâ nullus fuit; ſed cum Ludovici operâ, plures Epiſcopi fierent, Metropolim Haliciæ conſtitutam eſſe, quæ poſtea Leopolim translata ſit, Epiſcopatu Camenecium translato.* Ità *Cromerus*; & ex eo, iisdem plane verbis; *Herburtus*, (p) & *Neugebauer*, (q) tum *Damalevicius*, (r) *Strykowſki*, (s) Sed omnes egregiè falluntur: Leopoli enim Cathedram Epiſcopalem ante Metropolitanam nunquam fuiſſe, ſed à primis Religionis Romanæ incunabulis, ſolam Parochialem Eccleſiam perſtitiſſe usque ad A. 1414, quo Metropolis Haliciâ Leopolim translata eſt, Vladislai Jagellonis temporibus, & proinde con-

(p) pag. 186-7
(q) p. 219.
(r) Gneſn. 191.
(s) p. 458.

conjecturam Cromeri ſubſiſtere non poſſe, tribus à ſe allegatis authenticis documentis ſufficientiſſimè probat *Scrobiſſevius.* (t) Cæterum, ipſe Vladislaus in Inſtrumento auctionis menſæ Archiepiſcopalis, Eccleſiam Metropolitanam Leopolienſem vocat *plantulam novæ ſuæ fundationis*; ita enim ibi legitur. *Eccleſiam Metropolitanam, nuper ad inſignem Civitatem noſtram Leopolienſem, de* Halicz *transferri curavimus, atque tranſtulimus, ac ad R. P. D.* J*ohannem* (*RZESZOWSKI*) *ejusdem Eccleſiæ Leopolienſis Archiepiſcopum affectum convertimus, propterea quod Eccleſiam hanc, novam fundationis noſtræ plantulam, vitæ exemplo &c. ædificare non ceſſat.* Data hujus inſtrumenti A. 1424. Eadem repetit in Inſtrumento auctionis bonorum Capituli de datâ 1432. Sed totam hanc difficultatis partem, Bernardinus *Wilczek* Archiep. Leopol. quaſi per corollarium colligere & determinare videtur, Diplomate Approbationis factæ per Canonicos Vicariorum fundationis, Ao. 1515. his Verbis: *Nos Bernardinus &c. Notum facimus, quomodo Ser.* Pr. *Vladislaus D. G. Rex Poloniæ, &c. zelo devotionis permotus, cupiens Eccleſiam Leopolienſem, quæ tum Parochialis exſtiterat, dignis decorare honoribus, de Eccleſiâ* P*arochiali, plebano protunc exiſtente, & ad id ut creditur conſentiente, ſedem Metropoliticam, Prælaturas & Canonicos fundavit & dotavit, ac tandem R. D.* J*oh. RZESZOWSKI. protunc Archiep. exiſtens, eandem fundationem & dotationem auxit & confirmavit.* (u) Pro Coronide appono Bullam Bonifacii IX. ad Ericum Ep. Premisl. cujus autographum aſſervatur in Archivo Civit. Leopol: Hujus prima pars huic argumento inſerviens, hæc eſt de verbo ad verbum. "

(t) Scrob. cap. 2. p. B. 1. Idem p. B. 3 b.

(u) Id. p. E. 1. b.

*BONI-*

*BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum DEI.*
*Venerabili Fratri Epiſcopo Premislienſi Sal. & Apoſt. Bened.*

*Piis ſupplicum votis libenter intendimus & volumus favorabiles inveniri: Dudum ſiquidem pro parte Bernardi Arch. expoſitum f. r. Urbano VI. Quod cum olim Eccleſia Halicienſis conſiſtens in Ducatu Rusſiæ qui per c. m. LUDOVICUM Regem Hungariæ, de manibus Schiſmaticorum & Infidelium ad fidem Catholicam reductus fuerat, in poteſtate dictorum Schismaticorum & Infidelium tunc exiſtens, tanto tempore caruiſſet Catholico Antiſtite, quod ubi & infra quos fines, conſiſtebat dos Eccleſiæ prædictæ, de facile ſciri non poterat. Dilectus filius Vladislaus Opolienſis, tunc Rusſiæ Dux, oppidum Rahagui, & Caſtra Olesko & Touſtan, &c. &c. dictæ Halicienſi Eccleſiæ in dotem, donatione perpetuâ & irrevocabili conceſſerat & donaverat. &c. Et quod debiti modus & forma divini officii celebrandi, in eadem Halicienſi & Cathedralibus, ac aliis ſibi ſubjectis Eccleſiis dictæ Provinciæ non ſervabantur, nec ſuffraganei dictæ Halicienſis Eccleſiæ reſidebant in Cathedralibus ſupradictis; Ideo &c. &c. Datum Romæ 3. Id. Maij Ao. 1389.* ". Ex Verbis Bullæ hujus iſta deducuntur.

1.) Sedem Metropolitanam in Ruſſiâ ritus Latini, principiò Haliciæ conſtitiſſe, contra *Miechovitam* (w) *Cromerum*, (x) *Vapovium*, (y) & *Bielſki*. (z)

w) Miech. 242
(x) Cromer. 228 b.
(y) Bielski 250
(z) Crom. l. c.

2) Metropolin Halicienſem à primâ ſua erectione, plures Eccleſias Cathedrales, titulo Suffraganearum habuiſſe, contra *Cromerum*.

3) Ludovicum, ſedem Metropolitanam Haliciæ non conſtituiſſe,

ſtituiſſe, ſed collapſam reſtituiſſe, contra *Dlugoſſum*, (a) *Cromerum*, (b) *Sarnicium* (c) *&* *Bielski.* (d)

(a) In Edit. Dlugoſ. II. 1901.
(b) Crom. l. c.
(c) Sarn. 333.
(d) Bielski l. c.

4.) Ladislaum Oppolienſem & Ruſſiæ Ducem, dotem Halicienſis Eccleſiæ auxiſſe, non verò Ludovicum, contra noſtrum Commentatorem.

5.) Lemburgam ſive Leopolim, ante Ludovicum Regem Epiſcopalem Cathedram non habuiſſe, ſed ſub Metrapolitano Halicienſi & in ejus Diœceſi fuiſſe, contra *Cromerum* (e) *Herburtum*, (f) *Neugebauer*, (g) *Damalevicium*, (h) *Strykowſki.* (i)

(e) p. 228. b.
(f) p. 186.
(g) p. 219.
(h) Gneſn 19.
(i) p. 458.

Et jam pro majori quæſtionis elucidatione, his noſtrorum Hiſtoricorum erratis neceſſario annotatis, ad ipſum me Commentatorem converto, craſſos errores demonſtraturus in paucis his Ejus verbis:

*Ludovicus Ruſſiæ terras Regno Hungariæ incorporare ſatagens, pro Arch. Halicienſi noviter à ſe erecto Romæque inaudito, (quem Petro Rzeſzovio cum opimâ optimaque proventuum dote contulerat,) Legatos qui S. Sedis aſſenſum obtineant, mittit.* "

1.) Dicit, Ludovicum animo incorporandi Ruſſiæ Provincias Regno Hungariæ, Archiep. Halicienſem erexiſſe, cum tamen ex *Dlugoſſo*, (k) *Cromero*, (l) & citato ab ipſo *Bielſki* (m) conſtat, nihil aliud, niſi frequentem in oris Ruſſiæ Catholicorum numerum ei motivo fuiſſe.

(k) p. 26.
(l) p. 228.
(m) p. 250.

2.) Aſſerit à Ludovico Sedem Halicienſem fundatam fuiſſe, ex præmiſſis verò conſtat, eum quidem hanc Sedem collapſam reſtituiſſe, ſed nec conſtituiſſe, utpote quæ A. 1364.

 nempe

nempe 6. annis antequam regnare cæpiſſet, à Caſimiro M, erecta fuerit; unde

3.) nec Romæ inaudita regnante Ludovico dici poteſt; nec transtuliſſe, nam ex præmiſſis conſtat, id à Vladislao Jagellone præſtitum fuiſſe Anno 1414. id eſt 32. ab obitu Ludovici annis, qui A. 1382. contigit. Nec officit, quod coëtaneus Scriptor, *Anon. Archid. Gneſnenſis* (n) dicat, a Gregorio XI. regnante Ludovico erectum fuiſſe Archiep. Haliciensem, addit enim *cooperante Ludovico, circa Annum D.* 1378. *aut* 1376. nam hâc particula *aut* incertum ſe eſſe plane fatetur, deinde illa vox *cooperante* indicat Ludovicum non fundaſſe, ſed fundationem curâſſe, ut itaque omnia verbo abſolvantur, dicendum eſt.

(n) In Corp. Sommersb. II, 112.

A. 1364. *Caſimirum M.* Haliciæ hanc plantulam novæ fundationis *plantâſſe.*

A. 1378. *Ludovicum* illam curâ uberioris transplantationis *rigaſſe.*

Confer 1. Corinth. 3, 6.

A. 1414. *Vladisl. Jagellonem* ei Leopoli, favente Gratia Divina *incrementum dediſſe.*

4.) Ait, Ludovicum dotem Halicienſi Eccleſiæ contuliſſe. At ex præmiſſa Bonifacii IX. Bullâ luculenter patet, hanc dotem, non à Ludovico, ſed à Vladislao Duce Oppolienſi aſſignatam fuiſſe, qui cum ſimul Dux Ruſſiæ tunc diceretur & eſſet, oppidum Rahagui & Caſtra Olesko ac Teuſtan, ac domum ſuam in oppido Lemburgenſi ac certas decimas &c. huic Cathedræ in dotem conceſſit & donavit.

5.) Hanc dotem Eccleſiæ Halicienſi impertitam, vocat

opti-

optimam. At certe modicam, exiguam imò inſufficientem fuiſſe vel exinde patet, quod cum hæc Bullâ de dictâ dote commemorans, ſit de A. 1389. annis abhinc 22. nempe A. 1411 Nicolao *Trąba* penultimo Archiep. Halicienſi, retentio ac reſervatio, ſuper omnia ſua beneficia, nempè Præpoſituram S. Floriani extra muros Cracovienſes, ac præbendas Cracov. Caliſſ. Sendomirienſem, S. Georgii in arce Cracovienſi, S. Viti in Cruſvicienſi Caſtris, imò & ſimplicem Altariam in Eccleſia Cracovienſi, *propter tenuitatem proventuum Eccleſiæ Halicienſis* à S. Sede impertita fuit, prout expreſſe habet *Dlugoſſus*. (o) Similiter & ipſi RZESZOVIO, Archiep. Halicienſi ultimo, retentionem utriusque Beneficii, nempè Præpoſituræ S. Michaëlis in Caſtro, & Canonicatûs Cracovienſis conceſſam fuiſſe, parem & rationem inſufficientiæ, conſtat ex eodem. (p)

6.) Commentator dum dicit Ludovicum procurâſſe aſſenſum S. Sedis, pro Archiepiſcopatu Halicienſii *noviter à ſe erecto & Romæ hucusque inaudito* innuere videtur, tum Summi Pontificis Sedem Romæ fuiſſe; verum hæc geſta eſſe dicuntur A. 1375. tum temporis autem S. Sedes nondum Avinione Romam translata fuit, nam Gregorius XI. inde (diſcedens A. 1376. 13. Septembris) nonniſi Anno ſequenti 1377. 17. Januarii Romam pervenit, (ut habet *Burius* (q) in Notitiâ Rom. Pont.) Quodſi Co̅mentator *Dlugoſſum* (r) vel citatum à ſe *Miechovitam* (s) benè legiſſet, expreſſa ibi hæc verba reperiſſet: *Ludovicus Anno* 1375. *miſſis ad Gregorium XI. Nunciis Avinionem* &c.

(o) l. 2 p. 312.

(p) Dlugoſſ. 315.

(q) p. 217.

(r) l. 10. p. 26.

(s) pag. 257.

7.) Commentator dum dicit, à Ludovico Eccleſiæ Halicienſi præfectum fuiſſe *Petrum Rzeſzovium*, citat in margine *Bielski* fol. 250. ac *Miechovitam*. Sed *Bielski* hoc loco de erectione quidem Halicienſis Archiepiſcopatus loquitur; quisnam verò, primus Archiepiſcopus fuerit, ſilentio præterit. *Miechovita* (t) verò dicit expreſſe, *Halicienſe oppidum Archiepiſcopali honore à Ludovico fuiſſe inſignitum, & ad eam Metropolitanam Eccleſiam, Jacobum Polonum fuiſſe conſecratum, aſſignata Sedi Suæ ritûs Græci Eccleſia.* Male igitur citat, ſeu peſſimè comminiſcitur.

(t) pag. 257.

8.) Idem *Rzeſzovius*, non vivente ſed mortuo jam Ludovico fuit Archiep. Halicienſis. Nam ex præmiſſis, uti & ex ſingulis Hiſtoricis, maxime, *Dlugoſſo*, (u) *Cromero*, (w) *Damalewitio*, (x) *Scrobiſſevio*, (y) *Okolſcio*, (z) oppidò liquet, *Rzeſzovium*, poſt Translationem Nicolai *Trabæ* ad Gneſnenſim Metropolim, Halicienſem Metropolim gubernandam ſuſcepiſſe A. 1411. id eſt 29. ab obitu Ludovici Annis.

(u) l. II p. 315.
(w) l. 17 p. 279
(x) Gneſn. 220.
(y) J. 3. b.
(z) II. 277.

9.) Commentator hunc *Rzeſzovium*, ab erectâ Metropoli Halicienſem primum Archiepiſcopum fuiſſe dicit; At is reverâ Halicienſis ultimus fuit; nam ipſe (conſentientibus omnibus Hiſtoricis, maxime *Dlugoſſo*, (a) *Cromero*, (b) *Scrobiſſevio*, (c) Sedem Halicienſem Leopolim transtulit.

(a) l. 11. p. 315.
(b) p. 279. a.
(c) J. 3. b.

10.) Denique hunc ipſum *Rzeſzovium* Commentator *Petrum* vocat, at *Johannis* nomen eum habuiſſe ex omnibus ſupra allegatis Hiſtoricis conſtat, maxime verò ex his verbis *Scrobiſſovii*: (d) *Poſt translationem Nicolai Trambæ, Johannes*

(d) J 4 b.

*hannes Rzeſzovius Halicienſem Eccleſiam gubernandam ſuſcepit.* *Fuit & alius* Johannes *Rzeſzovius nominis, cognominis & familiæ ejusdem, Epiſcopus Cracovienſis. Hæc annotare volui, ne quem nominis* & *cognominis ſimilitudo fallat.*

Cæterum non ex aliquibus pervetuſtis monumentis exſcriptam, ſed potius de induſtriâ confictam eſſe hanc fabuloſam narrationem, vel ex hoc ſolo *Petri Rzeſzovii* nomine conjicio. Nam ſi fortè Commentatori, Legatum *A*venionem à Caſimiro M. *A.* 1361. pro obtinendâ erigendi *A*rchiepiſcopatûs Halicienſis facultate, miſſum; J*ohannem* P*acoslaum* (*) *Rzeſzowski* fuiſſe, (ut ex *Spondano, Bzovio, Myræo,* (e) *Miechovita*, habet R. P. *Nieſiecki* (f) legere contigit, memoriâ, nomen primi Archiepiſcopi Halicienſis genuinum, minimè ipſi ſuppeditante, & in locum ejus, nonniſi nomen Legati, occaſione erigendæ dictæ Metropolis Romam miſſi, ſuggerente, ut aliqua tamen, inter utrumque Rzeſzovium diſtinctio linqueretur, *Petrum* pro J*ohanne* vocando, primum Archiepiſcopum Halicienſem *Rzeſzovium*, inſulſo ac inficeto auſu commentus eſt. Sed jam progrediamur ulterius, filum narrationis proſecuturi, nam *abyſſus abyſſum vocat,* & perampla figmentorum adhuc nos manet ſeges. Et vel quanta in his paucis Commentatoris verbis.

(e) Myræus de ſtatu Rel. I. 1. c. 24.
(f) Koron. 24

„*Tum quoque* (1375) *Ludovicus Præmislienſi Cathedræ hucusque non exſtanti, & quæ nonniſi à Vladicis ritus Græci occupaba-*“

I 3 *tur*

(*) Per hoc nomen Polonica inflexione contortum, intelligi debeat Paſchalem crediderim, per Paskonem autem Paſchaſium;

„ *tur, Philippum Komarniccium Decanum Cracovienſem, aſſignatis* „ *ipſi non contemnendis proventibus, præfecit.*" Commentator dum hîc Cathedram Præmislienſem *hucusque non exſtantem* ait, præſupponit eam à *Ludovico A.* 1375. erectam fuiſſe. At à *Caſimiro Magno*, Anno adhuc 1364, ſimul cum Archiep. *Halicienſi*, & Epiſcopatu *Vladimirienſi*, annuente *Vrbano V.* fundatam eſſe, ex ſupradictis luculentiſſimè conſtat. Quomodò enim Metropolitana ſedes *Halicienſis* conſtituta fuiſſet, niſi & inſimul ipſi, more in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ recepto, Epiſcopatus ſuffraganei aſſignarentur? Scio equidem, *Dlugoſſum*, (g) tum ex eo *Miechovitam*, (h) ac *Cromerum*; (i) Ludovico id adſcribere, aſt id ita intelligendum dixerim: Antequam ulla ſedes ritûs Latini in Ruſſiâ inſtituta foret, Epiſcopus *Lubuſſenſis* ordinariam inibi exercebat Jurisdictionem; licetſi verò Halicienſis Metropolis, tum Vladimirienſis & Premislienſis Cathedræ à Caſimiro M. erectæ fuiſſent, nihilominus Lubuſſenſes Antiſtites, qui tum fuere *Henricus von Brande & Petrus von Oppen* ab exercendâ Jurisdictione abſtinere detrectabant (quod ſufficienter ex Epiſtolis Gregorii XI. à *Scrobiſſevio* (k) relatis, & quibusdam veſtigiis Jurisdictionis Lubuſſenſis in Ruſſia extenſæ apud *Nakielſcium* obviis, deducit) quæ lis & contentio nonniſi mediante hujus Pontificis Decreto, A. 1375. temporibus Ludovici fuit dirempta, & ita ſedis Premislienſis erectio, opus à Caſimiro M. inchoatum at ſub Ludovico perfectum, eidem aliquomodò adſcribi potuit. Sed vel id immeritò, nam non ab ipſo, ſed potius à Ladislao Duce Oppolienſi Epiſcopatûs Premislienſis indemnitatem hoc in paſſu tutatam, &

(g) p. 26.
(h) p. 257.
(i) p. 228. b.
(k) D. 2. b. ad D. 4. b.

& à præjudicioſis Epiſcopi Lubuſſenſis conatibus vindicatam fuiſſe, liquidò conſtat, ex his *Miechovitæ* verbis, a *Nakielſcio*, (l) allegatis. *Gregorius XI. Controverſiam inter Ladislaum Ducem Oppolienſem Principem Ruſſiæ, ac Epiſcopum Lubuſſenſem, de Archiep. Halicienſi, & Epiſc. Premislienſi ac Vladimirienſi, apud ſedem Apoſtolicam ortam conſopivit, decernens eas Eccleſias Cathedrales, ab Jurisdictione ejusdem Epiſcopi Lubuſſenſis exemptas fore. Ideoque Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Cracovienſi, Plocenſique Epiſcopis, ut authoritate Apoſtolicâ, de ſententiâ Ladislai Ducis, Epiſcopos jis Eccleſiis præficerent, poteſtatem fecit; A. 1375. Idibus Februarii.* (l) in Miech. p. 313.

Ex antedictis igitur; tum & his allatis verbis, luculenter pateſcit, Præmislienſem Epiſcopatum, non tantum à Ludovico non fundatum, ſed nec ab ipſo, circà Jurisdictionem legitimam aſſertum fuiſſe; & hunc ipſum Epiſcopatum non ab ipſo, at potius decernente Gregorio XI, de ſententiâ Ladislai Ducis Oppolienſis, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi (qui tum fuit *Joh. Suckywilk*) Cracovienſi; (Floriano *Mokrski*, tum & Plocenſi, (Dobeslao *Sowka de Gulczewo*) Epiſcopis, primo quisquis ille fuerit in hâc ſede conſtituto Antiſtiti, collatum fuiſſe. Sed quisnam ille primus Epiſcopus Premislienſis fuerit, jam videamus.

Commentator aſſerit fuiſſe Decanum Cracovienſem *Komarnicium* Philippum, & dum cum tali merè conficto nomine prorumpit, jure meritò applicari ipſi poteſt: Patrium illud Proverbium (*Wyrwał ſię jak Philip z Konopi.*) Neque enim aliquem in Poloniâ Epiſcopum nomine *Komarnicium*, apud quemcunque Hiſtoricorum ſacrum vel prophanum reperias, &

& ſi fuiſſet, certè ſcriptores noſtri Genealogici *Paprocki*, ac *Okolski* aliquam ſaltem ejus mentionem injeciſſent, at ne familiæ quidem hujus *Komarnicciorum*, ſub ſtemmatz *Sas*, quo inſignitur, ullum apud ipſos apparet veſtigium.

Occurrit equidem in Serie Epiſcoporum Premislienſium PHILIPPUS, at is in Ordine 21mus, nempe Philippus *Padniewski* Pro-Cancellarius Regni, A. 1559 aſſumptus, ſequenti vero Anno ad Ep. Cracovienſem promotus. Et licet Primislienſem fuiſſe annotare omiſerit Simon *Starovolſcius*, (m) duoque ejus Epitaphia ibi exſcripta, *Epiſcopatum Premislienſem*, inter cæteras Dignitates ab ipſo habitas reticeant, habet id tamen expreſſe, Simon *Nakielski* (n) in Miechovitâ. p. 667. (non 640. ut perperam legitur, in R. P. Nieſiecki Korona (o).

(m) Crac. Epp. p. 241.
(n) in Miech. p. 667.
(o) Korona p. 51.

Verum eſt quidem, quod R. P. Adamus *Naramowski* (p) Soc. Jeſu, ſeriem Epiſcoporum Premislienſium recenſens, in capite ac fronte, *Philippum Komarniccium* ſiſtat, ſed id, his ipſis, de quibus nunc agitur Commentatoris verbis innixus & confiſus, dubio procul, inconſultis aliis ſcriptoribus fecit; Cum itaque Commentator errori anſam præbuerit, neutiquam ipſi hujus loci authoritas ſuffragari debet aut poteſt.

(p) Facies. T. II. p. 497.

Jam verò, prout Nomen prætacti Epiſcopi, ex præmiſſis fictitium eſſe deducitur, ita quoque expreſſa ejus ante adeptum Epiſcopatum dignitas *Decani Cracovienſis*, ſimiliter à Commentatore conficta eſt. Illis enim temporibus, hac Prælaturâ, poſt obitum *Nankeri* demum Cracovienſis, & ſucceſſivè Vratislavienſis Epiſcopi ſeu alterius cujuspiam exornatus

fuit

fuit *Sbiscko* (*) Cancellarius Cracovienſis Curiæ Regalis, quem excepit in *Decanatu Cracovienſi* Johannes de Strzelcé *Suchywilk* (expoſt Archiepiſcopus Gneſnenſis,) eique ſucceſſit Dobrogoſtus (id eſt Bonaventura) *Lazenki de Nowodwor*, dictus ob rubedinem oculorum *Wydrzy Oko*, ex Cantore Gneſnenſi. Canonico Poſnan. ac *Decano Cracovienſi*, tum electo Archiepiſcopo Gneſnenſi, Epiſcopus primum Posnanienſis, & deinde Archiepiſcopus Gneſnenſis. Quod A. 1320. Nankerus factus fuerit Epiſcopus Crac. ex Decano Cracovienſi, habet *Starowolski* (q). Quod vero Suchywilkius Sbiſchkoni ſuccesserit, (circiter A. 1361.) teſtatur Anonymus Archidiaconus (q) Crac. 80.

K

(*) Sbiscko ſeu Zbigniew latine redditur Sbignæus;] Cujus nominis Sanctum Polonum Abbatem Ciſtercienſem, Cracoviæ una cnm ſuis Monachis Sociis Martyrii laureâ coronatum, ſæculo XIII. exhibet 10. Decembris Claudius Chatelain (*) Canon. honorarius Pariſienſis in ſuo Martyrolopio Univerſali at perperam, nullus enim hujus nominis Sanctus ex Ord. Ciſtercienſi apud nos habetur, & ſi fuiſſet, certe id annotare non prætermiſiſſet Auguſtinus Sartorius; (**) in Ciſtertio bis tertio titulo X. ubi inter alios Ordinis Ciſtercienſis Martyres, Polonos quoque recenſet, tum Hiacintus Pruſzcz (***) in opuſculo Forteca vitas SS. Polonorum continente. Qui ſaltem nomen B. Sbignæi Profeſſoris Academiæ Cracovienſis exhibet. In ſimilem errorem impegit Chatelain, (****) dum exhibet S. Stanislaum de Oporoviâ, dicitque eſſe unum ex XVI. Patronis Regni Poloniæ, & A. 1524. 22 Aprilis mortuum fuiſſe, cum tamen nullus hujus nominis Sanctus, ne dicam Regni Patronus exſtet. Voluit forſan per hæc intelligere B. Stanislaum Caſimiritanum, Canonicum Regularem qui obiit 1489. 3. May. occaſionemque erroris fors præbuit. v. Stanislaus Ordinis S. Pauli P. E. qui in opinione Sanctitatis obiit Ao. 1540. Oporoviæ.

(*) Mart. 626
(**) Ciſt 281.
(***) Forteca 117.
(****) p. 1172
Pruſzcz. Fort. 172.

conus Gneſnenſis, (r) his verbis *Iſte Januſſius Suchywilk primò fuit ex proviſione Jaroslai Archiepiſcopi* (Avunculi & Coadjuti ſui) *Præpoſitus Gnesnenſis; poſt hoc vacante Decanatu Cracovienſi per mortem D. Sbiſchkonis Cancellarii etiam Cracovienſis Curiæ Regalis quamvis D. Bodzanta Ep. Crac. Ottoni Liſſonicz de dicto Decanatu providiſſet, tamen dictus Otto artatus per Regem Kazimirum Rolonie pro Præpoſiturâ Gneſnenſi, cum Januſſio commutavit, ſic Januſſius Decanus & Cancellarius Cracovienſis Curiæ Regalis*) (†) effectus &c. Idem habet *Dlugoſſ.* (s) *Szczygielski* (u) & *Paprocki* (t). Quod autem poſt aſcenſum Suchywilkii ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem A. 1376. in Decanatu Cracovienſi ei ſucceſſerit Bonaventura *Nowodworſki* teſtatur, *Damalewicz* (w) his verbis: *Joh. Suchywilk Decanus Cracovienſis factus, Cancellarius etiam Regni à Caſimito pronunciatus eſt, cum Collegium Petropolitanum eum Archiepiſcopum propoſuiſſet, facile voti compos factus eſt Rege Ludovico favente, ad quem Orator fuit, ſceptra illi Regni Poloniæ deferens cum Floriano Epiſcopo Cracovienſi* (*A. 1371. teſte Cromero*) (x) *convocavit A. 1378. Synodum Caliſſium, unde Legatos Florianum Epiſcopum ac Dobrogoſtium,* (alias Bonaventuram) *Decanum Cracovienſes, miſit in Ungariam ad Regem Ludovicum.* (y) Hic autem Dobrogoſtius à Capitulo Metropolitano Archiepi-

ſcopus

(r) In Sommersb. Corp. II. 134.

(s) Dlugoſſ. IX. 1161. & X. 16.

(t) Herb 485.

(u) Tinecia 175.

(w) Gneſn. 192. ſſ.

(x) 222. b.

(y) Dlugoſſ. L. X. p. 40.

(†) Ex his verbis patet Sbiſchkoni Suchywilkium, uti in Decanatu Cracovienſi, ita & in Cancellariatu Regni, qui tum Cancellariatus Cracovienſis Curiæ Regalis vocabatur, immediate ſucceſiſſe, adeoque Sbiſchko, a R. P. Nieſiecki in Corona p. 255. prætermiſſus in Serie Cancellariorum Regni, ibi addi, imò primo omnium loco poni debet.

ſcopus eligebatur, & Romam pro confirmatione properans, Venetiis capiebatur A. 1382, cum adhuc eſſet *Decanus Cracovienſis* & Cantor Gneſnenſis, prout teſtatur *Dlugoſſus*, (z) & deinde A. 1384. poſt aſcenſum Johannis *Cropidlonis* ad Vladislavienſem, Epiſcopatui Poſnanienſi præficiebatur, cum eousque eſſet Decanus Cracovienſis, prout teſtatur idem *Dlugoſſus*, (a) in vitis Epiſc. Poſnanienſium. Ex his igitur omnibus luculenter patet, ab Anno circiter 1361. id eſt, decennio ante initiā Regiminis Regis Ludovici, usque ad Annum 1384. à morte Ludovici alterum, neminem alterum præter *Sbiſchkonem*, *Suchywilkium*, & *Nowodworſcium*, Decanatu Cracovienſi potitum fuiſſe; ac proinde Philippum *Komarniccium*, regnante Rege Ludovico, Decanum Cracovienſem nullatenus dici poſſe.

(z) L. X. p. 57

(a) Poſnan. p. K. 3.

Sed jam pro indagandâ veritate, quis illo tempore fuerit Epiſcopus Primus Præmislienſis à rivulis eamus ad fontes. Lucas *Vaddingus*, (b) ad A. 1375. ſuorum Annalium Ordinis Minorum, tum noſter *Dlugoſſus*, (c) *Miechovita*, (d) *Scrobiſſevius*, (e) *Nakielſki*, (f) &c. primum Epiſcopum Premislienſem conſtanter aſſerunt fuiſſe *Henricum*, ſeu *Ericum*, (nam hoc nomen utroque modo Latinè effertur, & Samuel Frid. *Lauterbach* (in Præfatione ſui opuſculi germanicè exarati titulo *Frauſtadtiſches Sion*, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Civitatis noſtræ *Wſchowenſis* continentis) immeritò Sctiptores nonnullos redarguit, quod *Henricum* Ducem Brunſvicenſem, diverſimodè vocent *Ericum*) Is autem *Henricus*, Germanus

(b) Ann. Mſti p. 214.
(c) L. X. p. 26.
(d) Lib. 4.
(e) Leopol. E. 1.
(f) Miech. 314.

Stemmatis *Mora*, Ordinis Minorum dicitur, id quod abunde confirmare videtur verſiculus, ejus effigiei, inter cæteras Epiſcoporum Præmislienſem Icones, quondam & nunc fors adhuc in Arce Premilienſi patentes, obviæ, inſcriptus.

Nieſ. Corona 50.

HENRICUS ALEMANNUS.

*Præmislitanâ qui primus in Arce, Latinos*
*Inſtituit ritus, Religioſus erat.*

Rectè hic dicitur Latinos Ritus primun, Henricum intuliſſe Premisleam, nam ab A. 1271. Sedes Epiſcopi Græco-Uniti quæ hodiernum exſtat, ibi erecta fuerat, & *Henrico*, coætanei Epiſcopi (vulgò *Vladicæ*) fuêre *Sergius* & *Hilarion* Eccleſiam tamen Cathedralem nonniſi A. 1412. obtinuit, ritus Latini Epiſcopus, quo, Vladislaus Jagello, infamiæ ſuæ notam, injuſtè ſibi ab Alemannis, quaſi Sciſmaticorum fautor & præcipuus Receptator foret, inuſtam, purgaturus, Eccleſiam Cathedralem ritûs Græci, extumulatis primùm & ejectis Ruthenorum cadaveribus & cineribus, conſecrari in Cathedralem ritûs Latini Eccleſiam ordinavit, teſtante *Dlugoſſo.* (g)

(g) XI. 334.

Quod autem Commentator addit, *Epiſcopatum Premiſlienſem, opimis proventibus dotatum fuiſſe*, (prout id & de Archiepiſcopatu Leopolienſi ſuperius dixerat) id veritati conſentaneum, vix eſſe videtur. Tam exiguis nempe Premislienſis prout & Leopolienſis Præſul fruitur proventibus, ut eis Resp. ſuffragari ſatagens, cujusdam adminiculi gratiâ, Abbatias quasque compatibiles eſſe cum dictis Epiſcopatibus, Conſtitutione (h) Coronationis 1633. declararet. Id quod confirmare videtur *Scrobiſevius* (i) his verbis: *tametſi Metropolis Leo-*

(h) fol. 27.
(i) F. 5.

*Leopolienſis longe lateque pateat, tamen quia ſerius conſtituta, exiguam ſortita eſt proviſionem cum ſuis ſuffraganeis Eccleſiis* (*quo nomine dicendæ* veniunt *Premiſlienſis* & *Camenecenſis* de quibus hic agitur) *excepta Luceorienſi*, (*) *quæ quia alias præceſſit tempore, ideò pingviorem nacta eſt ſortem, tum verò quia* Provincia *Ruſſiæ plures Epiſcopatus ritus Græcanici, benè ab antiquis proviſos, proinde multiplicatis Epiſcopatibus dotes Eccleſiarum attenuari neceſſe fuit.*

Proſequitur ulterius perbellè comminiſci Commentator, dum dicit, „*Ludovicum Regem Epiſcopatui Camenecenſi à ſe noviter erecto, primum in ordine Epiſcopum præfeciſſe Boguslaum Derſzniak.*" Certum eſt enim hunc Epiſcopatum ſimul cum Archiep. Halicienſi tum Vlodimirienſi (qui nunc Luceorienſis) & Premislienſi Epiſcopatibus non à Ludovico ſed Caſimiro *M.* A. 1364 fundatum fuiſſe in Civitate Camenecenſi, celeberrimo Fortalitio quod *Antemurale Chriſtianitatis* audit inſigni, quæ Anno adhuc 1320. Diæceſi Cracovienſi ſubjecta erat, prout id colligitur ex verbis Indulti à *Scrobiſſevio* (k) allegati: Verum accedente oppoſitione Epiſcoporum *Lubuſſenſium* (qui illo tempore fuerê Henricus von *Brande* ac Petrus von *Oppen*) ordinariam in illis Ruſſiæ oris jurisdictionem tum

(k) D.

(*) Hic Epiſcopatus Luceorienſis etſi jam hodie ad Gneſnenſem Metropolim ſpectet, eum tamen Leopolienſi olim ſubjectum fuiſſe ex Bulla Pauli II. ad Gregorium Sanocæum Archiep. Leopol. de data 1648. 4. Nonis Julii, in qua poſt aſcenſum Joannis Loſowicz ad Ep: Vil: ejus Succeſſorem in Luceorienſi Martinum Krzeſzowski tum & Eccleſiam Luceorienſem tanquam Leopolienſis Suffraganeam commendat,) deducit Scrobiſſovius cap. 2.

tum exercentium, nonniſi A. 1375. Idibus Februarii mandante Gregorio XI. ad Inſtantiam Ladislai Ducis Opolienſis, Ducatu Ruſſiæ à Rege Ludovico ſibi collatò tunc potientis, decernentibus *Joanne* Gneſnenſi *Floriano* Cracovienſi & *Dobeslao* Plocenſi Præſulibus, ad id à S. Sede deſignatis, propriam ſedem Camenecenſem ſortitam fuiſſe Epiſcopum, colligitur ex Bulla Gregorii XI, quæ apud *Bzovium* (l) reperitur, tum & verbis ſupra allegatis *Nakielſcii* (m). Hinc facile quivis divinare poterit, dum apud *Dlugoſſum* (n) legit, de Tributo denarii S. Petri (vulgò *Swięto-Pietrze*) à ſingulis Epiſcopatibus S. Sedi pendi ſolito, ac ſpeciali Privilegio Apoſtolico Diæceſi Camenecenſi ad preces Legati Apoſtolici A. 1040 relaxato, Sphalma typi hic irrepſiſſe, & pro *Camenecenſi*, *Caminenſi* legendum eſſe. Illud verò, quod *Cromerus* (o) ſcripſit, & ex eo Ejus Epitomatores *Herburtus* (p) ac *Neugebauer* (q) iisdem fere verbis exſcripſerunt *tum, cum Metropolis Halicienſis Leopoli inſtauraretur, Epiſcopatum Leopolienſem Cameneciam tranſlatum fuiſſe* erroneè & falsè ſcripſiſſe jam ſuperius luculenter deduximus. Ac proinde jam nobis dicendum eſt, quisnam primus in Cathedrâ Camenecenſi inauguratus fuerit Epiſcopus.

(l) Annales n. 20.
(m) Miech. 313.
(n) Lib. 3. p. 230.
Nieſ. Kor. 82.
(o) l 13. p. 28.
(p) p. 186.
(q) p. 219.

Paulus *Ruſzel* (r) Ord. Præd. in opuſculo vulgari Idiomate edito ſub titulo *Triumphus S. Hyacinti* ante annum 1298. cujusdam Epiſcopi Camenecenſis dicti *Rugiani* mentionem injicit, nullâ authoritate fretus, ſed vel exinde, quod ibi addit, eum in dicto Epiſcopatu Succeſſorem habuiſſe Petrum *Powała* Ord. Præd. (qui à *Bzovio* quem exſcribere videtur,

(r) Triumph. 21.

non

non *Camenecenſis* ſed *Caminenſis* in Pomerania Epiſcopus vocatur, licet defacto nec *Caminenſis* fuerit uti mox dicetur,) facile error ex vocum analogiâ deſumptus deprehenditur. *Rugianus* etenim unicus hujus nominis in Polonia Præſul, defactò Epiſcopatum Vlodimirienſem (ſeu ut moderno Vocabulo utar Luceorienſem) tenuit, id teſtante *Nakielſcio*, (s) in quo Succeſſorem habuit *Gregorium* (*) qui cum ex eodem Prædicatorum Ordine fuerit aſſumptus, fors anſam erroris *Ruſzelio* præbuit.

(s) Mich. 313

Idem P. *Ruſzel* (t) tum Simon *Okolſki* (u) in Ruſſia florida, ac Dominicus *Frydrychowicz* (w) in S. Hyacintho, Petrum *Powata* Epiſcopum Camenecenſem ex Ordine Præd. aſſumptum ajunt, ſed omnes egregiè falluntur & fallunt. Et *Ruſzel* quidem, ex Abrahami *Bzovii* Commentatione *de rebus præclarè gentis in Provinciâ Polonâ Ord. Præd.* Venetiis 1606. editâ; (ubi pag. 50. leguntur hæc verba *Frater Petrus Præſul Caminenſis in Pomeraniâ, dum ad Eccleſiam revertitur, Genuæ mortuus in Eccleſiâ F. F. Præd. ſepelitur A.* 1598.) id hauſiſſe vel exinde videtur, quod hunc Petrum *Powata* Epiſcopum Camenecenſem ſimiliter dicat Româ reducem *Genuæ* diem ſuum obiiſſe, niſi quod loco anni 1598. errore typi ita expreſſi corrigat. 1298, à quo ne latum ungvem ab eo diſcedens P.

(t) l. c.
(u) Ruſſia 59.
(w) Hyac. 229

(*) Is Gregorius fuit gente Buczkovius, quod nomen à R. P. Nieſiecki in Serie Epiſcoporum non adjectum reperies in Frydrychovicii Opere titulum S. Hyacinthi Poloniæ Patroni præferente Nieſ. Kor. 46. Frydr. Hyac. 242.

*P. Frydrychowicz* loco citato & Petrum *Powalium* Epiſcopum Camenecenſem vocat, & hunc annum 1298. ipſi adſtruit, imo addit eum ſex annis Cathedræ Camenecenſi præfuiſſe; hinc igitur conſtat, *Ruſzelium* (quem ſecuti ſunt *Okolſki* & *Frydrychowicz*,) ex *Bzovio* ſuum Epiſcopum Camenecenſem deſumpſiſſe & ob analogiam vocum *Caminenſis Camenecenſis* in hunc incidiſſe errorem. Verùm dum P. *Ruſzel.* eidem nomen Familiæ *Powała* adaptat, in majorem adhuc labitur errorem, nullus enim hujus nominis in Polonia Epiſcopus extitit. Habent equidem *Paprocki* (w) & *Okolſki* (x) ſub inſigni *Powała* ſeu *Ogonczyk* duos hujus Stemmatis Epiſcopos, alterum *Paulum* Chelmenſem A. 1466 alterum *Nicolaum* Culmenſem 1509. ſed utrumque ex Familiâ *Koſcielecciorum* fuiſſe ajunt; & dum hæc dicunt, bifarium in errorem prolabuntunr, *Paulus* enim non fuit de *Koſcielec* ſed potius de *Grabowo* (& *Grabowſcium* expreſſe vocant *Dlugoſſus*, (y) *Cromerus*, (z) *Bielſki*, (a) *Nakielſki*, (b) *Piechowſki*,) (c) *Nicolaus* verò fuit *Koſcieleccius* ſed non *Culmenſis* ad potius *Chelmenſis* Epiſcopus, prout habet Jodocus Ludovicus *Decius*, (d) *Nakielſki*, (e) *Piechowski* (f).

(w) Herb. 410
(x) III. p. 333
(y) l. 13. p. 276
(z) 428. b.
(a) p. 472.
(b) Miechov. 515. & 538.
(c) Chelm C. 4
(d) Decius in Comment.
(e) p. 575.
(f) Pinch, D. 2

Ex præmiſsis facilé crediderim, P. *Ruſzelium*, pro *Petro* Epiſcopo *Caminenſi* à *Bzovio* allegato *Paulum Chelmenſem* Epiſcopum Stemmatis *Powała* accepiſſe, & ſimilitudine nominum *Petri Pauli* ſimul ac *Caminenſis*, *Camenecenſis* deluſum, ſuum *Petrum Powała* Epiſopum Camenenſem efformâſſe.

(g) Ruſſia 59.

Hunc errorem, majori truſit errore *Odolski* (g) in *Ruſſia*

*florida*,

*florida*, ; dum in Catalogo Epiſcoporum ex Provinciâ Ruſſiæ Ord. Præd. aſſumptorum, hunc Petrum ita allegat. F. *Petrus de armis* Powała *Epiſcopus* Camenecenſis 1302 *ut in arce Epiſcopali* Czarnokozinenſi *adnotatur* nam & in anno & in authoritate fallitur. Quoad annum, loco 1302. legendum crediderim 1502. nam hoc anno defacto *Camenecenſi* Cathedræ præfuit Epiſcopus nomine *Petrus* (ut habet R. P. Nieſiecki.) (h) Quoad authoritatem dici poteſt *Okolſcium* legiſſe apud *Ruſzelium* de Petro *Powała* Epiſcopo *Camenecenſi*, ſimulque inaudiviſſe, de effigiebus Epiſcoporum Camenecenſium cum exiguo vitæ breviculo in arce *Czarnokozinenſi* tum exſtantibus, & ita verbis *Ruſzelii* fretum, audacter Catalogum *Czarnokozinenſem* allegaſſe.

(h) Kor. 72.

Ex his omnibus ſane liquet, anſam erroris *Okolſcio* & *Frydrychovicio* præbuiſſe *Ruſzelium*, dum pro *Petro Caminenſi* Epiſcopo à *Bzovio* allegato, *Petrum Camenecenſem* male exſcripſiſſet. Sed nec ullum *Caminenſem* Epiſcopum *Petrum* dictum, unquam extitiſſe, & ita ipſum *Bzovium* ſeu potius Scriptores, quorum teſtimonio hæc dicit, & quos in margine citat, (nempe Sebaſtianum *Munſterum*, (i) in Coſmographiâ Baſileæ 1555. edita & Leandrum *Alberti* (k) in Commentario de viris illuſtribus Ord. Præd. Bononiæ 1517. edito) erráſſe dico, & quod allego, probo, ac prius verba *Bzovii*, (l) hic pro theſi colloco, *F. Petrus*, *Summus Pœnitentiarius Nicolai IV. temporibus Bonifacii VIII. Præſul Caminenſis in Pomeraniâ, dum ad Eccleſiam revertitur, Genuæ mortuus, in Eccleſia F. F.*

(i) Coſm. l. 3.

(k) Comm. de vixill. Domin.

(l) Propago 50

*Præd. ſepelitur A.* 1598. Deinde numerum anni per ſphalma typi malè exaratum, & ita 1298. (ut temporibus Nicolai IV. & Bonifacii VIII. correſpondeat) legendum) præſuppono.

Bonifacius VIII. Nicolao IV. ſuffectus eſt A. 1289. & vixit in Pontificatu ad A. 1303. *Petrus* verò hujus Bonifacii S. P. temporibus Epiſcopus *Caminenſis* fuiſſe & A. 1289. obiiſſe dicitur. Verùm, ex ſolâ temporis collatione falſitas deprehenditur, nam *Jaromarus* Princeps *Rugianus*, ab Hermanno (m) l 3. p. 412. Comite à *Gleichen* ſex annis, (ut habet Micrælius) (m) ante annum ejus emortualem qui fuit 1287, in Coadjutorem Epiſcopatûs Caminenſis aſſumptus, Eidem ſucceſſit, & nonniſi A. 1299. obiit, ut ex vetuſtis diplomatibus deducit Mar- (n) Orig. Pom. 106. tinus *Rango* (n) in *Originibus Pomeranicis*: Nec dici poteſt errorem eſſe in anno *Petri* émortuali, & eum *Jaromaro* deinde in Epiſcopatu ſucceſſiſſe, prout innuere videntur illi pervetuſti verſiculi Brocardici, ſeriem Epiſcoporum *Saminenſium* (o) l 3 p. 124. continentes, & in *Micrælii* (o) Pomeraniâ ac *Zulichii* (p) Hi- (p) Hiſt. Ep. Camin. B. 2. ſtoriâ Epiſcopatus Caminenſis obvii; quos etiam & quidem aliis planeque diſcrepantibus verbis ex Protocollo D. Joannis *Brandii* deſcriptos, in quodam ſpiſſo opere, manu Petri *Edelingii* exaratos habeo, ubi hæc leguntur,

*Hermannus ſequitur, hic octavus perhibetur,*
*Princeps Germanus nonus regit Rugianus*
*Prædicat hinc* PETRUS *Antiſtes in ordine denus*
*Poſt hunc undenus Henricus* &c. &c.

Nullus etenim ex Scriptoribus, qui vitas Epiſcoporum

*Cami-*

*Caminenſium* ſcripſerunt, quales ſunt David *Chytræus*, Dan. Cramerus, Joannes *Micrælius*, Joannes *Sithmannus*, Michael *Zulichius*, & Martinus *Rango*, aliquem Epiſcopum Caminenſem nomine *Petrum* in ſeriem duxit. Omne autem dubium omnino tollit *Micrælius* (q) his verbis. (q) lib. 3. p. 413.

*Jaromarus Fürſt in Rügen, weil er nicht Prieſter, ſonder Diacon geweſen, hatt Doctorem Petrum aus dem ſchwartzen* (*) *Cloſter von Stralſund zum Weyh-Biſchoff geſetzet, welcher das Jahr vor Ihm geſtorben iſt.*

Idem iisdem fere verbis habet Michaël *Lulichius* (r) in hiſtoriâ Epiſcopatus Camminenſis. (r) p. C. 1. b.

*Jaromarus nunquam conſecratus, Eccleſiaſticis omnibus in ſuffraganeum* Petrum *Th. D. ex Monaſterio Straleſundenſi Nigro rejectis, nonniſi politica curavit, & idem obiit* Jaromarus *A.* 1299. *poſtquam ſuperiori anno, Petrus Suffraganeus deceſſerat. Fruſtra itaque verſus ſupra allati Petrum decimum ferunt Antiſtitem, qui ne quidem ſuperſtes fuit Epiſcopo ſuo* &c.

Ex antedictis igitur rationibus, & maximè ex hoc luculentiſſimo, claſſici & Patrii utpote Pomeranici (in qua Regione ſitus eſt *Camminenſis* ſeu *Julinenſis*, qui nunc *pomeraniæ* dicitur, & cum *Cujavienſi* alias *Vladislavienſi* conjungitur Epiſcopatus) ſcriptoris vetuſti teſtimonio ſufficientiſſimè eruitur contra Sebaſtianum *Munſterum*, Leandrum *Albertum*, Abra-

 ha-

(*) Hoc Nigri ethimo PP. Ord. Præd. apud Lutheranos veniunt alias Schwartz-München.

hamum *Bzovium*, Paulum *Ruſzelium*, Simonem *Okolſcium*, & Dominicum *Frydrychovicium*, PETRUM, de quo hic res eſt nec Polonum nec gente *Powała* ortum fuiſſe, tum nec *Camenecenſem* nec *Caminenſem* Epiſcopum, ſed ſaltem hujus Diæceſis Suffraganeum extitiſſe, ac proinde RUGIANUM, de quo ſuperius & quem *P. Ruſzel.* hujus PETRI in Epiſcopatu Camenecenſi *Prædeceſſorem* (& exinde primum Epiſcopum Camenecenſem, de quo inter ſcriptores liqueat) fuiſſe aſſerit, non alium intelligi debere niſi ſupramemoratum *Jaromarum* Principem RUGIANUM deſumpto à Ducatu *Rugiæ* vocabulò ita dictum, quod confirmare videtur ille ſuperius poſitus Mnemonicus verſiculus.

*Princeps Germanus, nonus regit RUGIANUS.*

(s) Kor. 71. R. P. Nieſiecki (s) in ſerie Epiſcoporum *Camenecenſium* primum in ordine ab A. 1375. ſiſtit *Wilhelmum* Ord. S. Dominici, & pro teſtimonio allegat toties citatos P. *Ruſzel* (t) in triumpho S. Hyacinthi & *Okolſcium* in Ruſſia florida. At *Okolſcius* pag. 59. hujus Operis, in Catalogo Epiſcoporum ex Provinciâ Ruſſiæ Ord. Præd. aſſumptum, *Wilhelmum* non habet, Ruſzel verò pag. 90. (non 20) cum adſcripto anno 1373. habet, ſed iterum *Caminenſem* Epiſcopatum cum *Camenecenſi* indiſtinctum habet. Occaſionem erroris iterum præbuiſſe videtur Abrahamus *Bzovius* (u) in *Propagine S. Hyacinthi*, ubi *Wilhelmum* Epiſcopum *Camminenſem* Anno 1373. allegat, quem more ſuo ſequitur *Ruzel*, & *Wilhelmum* more ſuo ex *Camminenſi Camenecenſem* facit. *Ruſzelium* iterum ſequitur *Frydrychowicz* &

(t) p. 21.

craſ-

craſſum errorem craſſiori palpabilioríque errore auget. Dicit enim *Petro Povalio ſucceſſiſſe in Epiſcopatu Camenecenſi hunc Wilhelmum & vixiſſe in Anno 1373.* Ex quibus verbis ridicula ſequi videretur illatio, *Wilhelmum* in Epiſcopatu Camenecenſi 75. annos emenſum fuiſſe, & ita ſuperadditis ad minimum 30. ad Epiſcopatum requiſitis, centeſimum quintum & quod excurrit ætatis attigiſſe annum, cum Petrus *Povalius* Camenecenſis prætenſus Epiſcopus (potius *Petrus* Stralſundenſis Suffraganeus *Caminenſis* dicendus) uti dictum eſt & uti ipſe ibidem fatetur, mortuus ſit A. 1298.

Sed ut ad *Bzovium* redeamus, dum *Wilhelmum* Ordinis Præd. anno 1373; Johannem verò *Gottinger* anno 1329. Epiſcopos Camenecenſes fuiſſe dicit, bifariam iterum erráſſe deprehenditur. *Wilhelmus* enim II. aliis *Arnoldus* dictus, Ord. Præd. (de quo res agitur) reverà A. 1329. obiit, prout id colligitur ex dictis apud *Rangonem* (w) in *Originibus Pomeranicis* & *Micrælium*; (x) Joannes verò *Gottinger*, quem in hoc eodem anno 1329. Epiſcopum dicit nunquam ad Epiſcopatum pervenit. Equidem *Conrado IV.* A. 132[illegible] mortuo, à Capitulo electus hic Joannes *Gottinger*, jam verò à S. Sede proviſus *Joannes* Ord. Præd. fuerat, ſed inter duos litigantes, tertius interveniens Fridericus von *Eickſtädten* (ab Eichſtät) brabeum accepit, prout id ex *Crantzii* deductione habet ſuprà memoratus *Micrælius*, (y) & confirmare videntur ſupra citati verſus brocardici his verbis:

*ARNOLDUS frater tredenus prædicat acer.*
*Poſtea Magnificus quartus decimus Fridericus.*

Ex quà elucidatione omnis perplexitas à *Bzovio* illata & à R. P. *Nieſiecki* (z) allegata, omninò tollitur.

Poſt *Wilhelmum*, quem *Caminenſem* non *Camenecenſem* fuiſſe Epiſco-

(w) p. 110.
(x) p. 414.
(y) p. 414.
(z) Kor. 81.

Epiſcopum jam ſuffiicienter deductum eſt; ſecundum in ſuo Epi-
(a) Idem p. 71 ſcoporum Camenecenſium catalogo, affert R. P. *Nieſiecki*, (a) quendam *Rokoſſium*, fuit autem revera primus. Et dum dico *Primus*, illum omninò primum *Camenecenſem* Epiſcopum planè aſſeverare non auſim, ſed ſaltem primum *Camenecenſem* de quo inter Scriptores li-
(b) Hyac. 121 queat, hoc verò in paſſu teſtimonio ſolius *Fridrychowicii*, (quem unicum R. P. *Nieſiecki* hic allegat,) acquieſcere haud ſatis duxerim utpotè, quem in connotandis genuinis Epiſcoporum Polonorum nominibus & annis, tam negligentem animadverterim, ut in ſolo
(c) fol. 118. Epiſcoporum S. *Hyacintho* (c) cognatorum ab ipſo relato catalogo, 22. Epiſcoporum nunquam extantium nomina, erroneè exſcripta, 32. verò nomina malé & non genuine exarata, tum 35. vicibus annos, Epiſcopis quibus tribuuntur, nullatenus convenientes, adſcriptos, denique *Vratislavienſes* cum *Vladislavienſibus*, *Chelmenſes* verò cum *Culmenſibus* ſusque deque commixtos, ac invicem ſupinâ ignorantiâ conglobatos, &ità in uno ſesqui folio, 89. errores in univerſum deprehenderim.

*Rokoſſium* itaqve ſtemmatis *Oſtoia*, pro vero & exinde primo *Camenecenſi* Epiſcopo agnoſcere non auderem, ſolo *Fridrichowicii*
d) Herb. 286 teſtimonio ſuffultus, niſi id quoque diceret, ſcriptor eo diligenti-
e) II. 367. or & accuratior nempe *Paprocki*, (d) quem exſcripſit *Okolſki* (e)

De cætero Boguslaus *Derſzniak*, quem Commentator primum Epiſcopum *Camenecenſem* fuiſſe comminiſcitur, eſt nomen merè confictum, imò nullum usquam in Polonia Epiſcopum nomine *Boguſlai* fuiſſe inſignitum, nec ullum ex familia *Derſzniak* non tantum ad Camenecenſem, ſed nec ad quamcunque Poloniæ Epiſcopalem ſedem fuiſſe evectum, tam eſt evidens & indubium, ut ulteriori indagatione plane non egeat.

Com-

*Compoſitis hoc modo Eccleſiaſticis in Ruſſiâ rebus, Ludovicus* " *Comitia Polonis Budæ pro feſto Aſſumptionis B. V. M. indixit.* " Duo hæc commata duo continent commenta. Etenim Commentator primò innuere videtur, Ludovicum confeſtim ac Epiſcopatus in Ruſſia inſtituti fuerunt, Comitia indixiſſe, cum tamen ea nonniſi ſeptennio (ab erectione illorum Epiſcopatuum, quæ ſecundùm *Miechovitam* (k) & alios anno 1375. (k) p. 257. contigit) præterlapſo, videlicet A. 1381. celebrata ſint; denique tempus horum Comitiorum determinatum ait, pro feſto Aſſumptionis B. V. M. cum tamen illud mediis Quadrageſimæ fuiſſe conſtet, ex omnibus & ſingulis Hiſtoricorum teſtimoniis, quæ vide apud *Dlugoſſum*, (l) *Miechovitam*, (m) (l) p. 48. *Cromerum*, (n) *Herburtum*, (o) *Neugebauer*, (p) *Bielſki* (q) & (m) p. 253. (n) p. 213. a. *Sarnicki*. (*) Qui ultimus expreſſe hæc habet: *Ludovicus* (o) p. 188. *Polonis Budæ Comitia indicit ad medium Quadrageſimæ; Erat hæc* (p) p. 220. (q) p. 253. *res nova, multaque ſecum incommoda trahebat, ad exteras oras per* (*) p. 1151. *tanta locorum intervalla Senatores evocare, veris præſertim tempore.*

Si Stylum Commentatoris in hoc puncto, cum Stylo *Sarnicii* contuleris, plane eundem comperies, niſi quod primordia veris pro noviſſimis æſtatis diebus commutaverit, ne nihil de ſuo addidiſſe videretur. In priori commate 7. annos in poſteriori 7. menſes ſubſultum prætergreditur, ut citius ad metam pertingat. Sed quale ſit ipſi adjudicandum, veritatisne an falſitatis brabeum, ulterius videamus.

*Huic Regio edicto ſe oppoſuiſſe Polonos Senatores, inventos* " *tamen fuiſſe aliquos, qui ob privatas ſpes Budam pro Comitiis ivere.* " Ait Commentator. Contrà. Neminem Procerum huic Regio

edicto ſe oppoſuiſſe, non aliquos paucos, imo verò plurimos Senatores ad hæc Comitia confluxiſſe, idque feciſſe non ob privatas ſpes aliquas (quibus verbis Commentator innuere videtur præjudicioſa in Rempublicam molimina) verum ad formandum ſalubrem Reip. Polonæ ſtatum, vel ex ſolis
(r) X. 48.49. *Dlugoſſi* (r) verbis dilucidè probatur, quæ ſunt hujus tenoris.

*Reginâ Eliſabethâ excedente, Ludovicus novum & juſtiorem in Regno Poloniæ, qui quaſi Matrè ſuperſtite provenire non poterat ſtatum formaturus, Prælatis & Baronibus Poloniæ, Conventum apud Budam, pro medio Quadrageſimæ indicit, offerens ſe, pro die illâ, ſingulorum oppreſſorum & gravatorum quærelas & cauſas, juſto & legitimo ordine expediturum. Ad quam licet longâ diſtantiâ porrectam, FREQUENS Prælatorum & Baronum, de ſua Republicâ & ejus Statu conſervando aſſiduâ meditatione ſollicitorum, frequentior tamen ex gravatis & paſſis injuriam numerus, ex* Poloniæ *Regno conveniſſet; poſt plures tamen deliberationes & tractatus, ad formandum ſalubrem Regni Poloniæ ſtatum, diebus aliquot habitos, nulla ſalubris & efficax reperiebatur via, ſingula enim quæ propoſita erant, verebantur propter Regis abſentiam in irritum reciſura.* Quod
(s) p. 231. a. *Dugloſſi* teſtimonium confirmant quoque illa *Cromeri* (s) verba: *Frequentes Proceres eo profecti ſunt, frequentiores multo ex aliis ordinibus &c. quos privatæ injuriæ factaque ſpes judicii Regii excitaret. Multa ibi variaque de adminiſtratione Reip. abſente Rege ac de ſummâ judiciorum jactata &c.*

Inter Proceres Budam Hungariæ pro Comitiis peregre euntes annumerat Commentator Albertum *Strzelecki* Theſaura-

ſaurarium Supremum Regni. *Streleccium* verò, nec tunc, nec unquam, Regni Theſaurarium fuiſſe ex Hiſtoricis & Genealogicis Scriptoribus conſtat. Non fuit tum Theſaurarius Regni *Stzeleccius*, nam hac Dignitate eminenti præditus tum fuit Demetrius *Bozydar* (*) Stemmatis *Korczack* ab A. 1386. usque ad A. emortualem 1399. prout colligitur, ex Statuto *Laski*, (y) tum ex *Bielſcio*, (z) *Paproccio* (a) in utroque opere & *Okolscio*, (b) qui duo poſtremi vocant eum Vice-Theſaurarium, citantque *Dlugoſſum de Familiis Poloniæ* (quod opus deperditum & nobis ignotum, utpote nunquam typis mandatum eſt.) Sed errorem typi eſſe crediderim, cùm omnes citati Authores vocent eum Theſaurarium, & apud *Laſcium* (c) ſimul legatur *Demetrius* Theſaurarius, & *Swiętoslaus* Vice-Theſaurarius.

(y) St. 77. In nova Edit. Vol. Legum p. 161.
(z) p. 256.
(a) Gniaſdus 1029.
(b) l. 429. Idem Herb. 533. & 535.
(c) l. c.

Ex his teſtimoniis ſufficienter deducitur, illis temporibus Albertum *Strzelecki* Theſaurarium Regni non fuiſſe, ſed nec unquam hujus nominis Theſaurarium extitiſſe, colligitur ex Serie Theſaurariorum Regni à R. P. *Nieſiecki* congeſtâ, tum ex *Paproccio* (e) & *Okolscio*, (f) qui dum de *Strzelecciorum Wa-*

(d) Kor. 266.
(e) Herb. 449
(f) II. 393.



(*) Hunc Bozydar, Dlugoſſus (t) cum quo conferatur Bielski (u) diverſo nomine vocat Demetrium Goray, unde crediderim fuiſſe binominem Demetrium-Theodorum (quod ultimum ex græca ethymo Donum DEI ſonat & ita Polonico nomini Bozydar reſpondet) tum familiæ Gorayorum Protoplaſtam, Demetrii quoque Supremi Regni Mareſchalli tum & Ivoniæ Patrem, (ut habet Paprocki) (w) hocque modo ejus nomen apud R. P. Nieſiecki (x) reſtitui deberet.

(t) X. 102.
(u) p. 256. & 269.
(w) Herb. 535
(x) Kor. 266.

*trobkie* dictorum familiâ, ſub ſtemmatè *Okſza* pertractant, non niſi *Joannem* Archiepiſcopum Leopolienſem, & ejus Fratrem *Staniſlaum* ex *Sądecenſi*, *Belzenſem* Caſtellanum, tum *Joannem* itidem Caſtellanum *Belzenſem*, ac *Clementem* ex *Bie-*
(g) 352. *cenſi*, *Sendomirienſem* Caſteilanum (de quo & *Bielski*, (g) inter familiæ hujus Senatores recenſent, & ſi aliquis Supremus Regni Theſaurarius fuiſſet, illum certè non ſubticuiſſent.

Et iterum ex hoc ſolo nomine *Strzeleccii* perperam allegato falſitatem hujus narratiunculæ haud difficulter demonſtrari poſſe autumaverim. Ad capeſſenda Regni Poloniæ gubernacula poſt obitum *Caſimiri M.* invitaturi *Ludovicum* miſſi ſunt in Hungariam, Oratores *Florianus* Epiſcopus Cracovienſis & *Januſſius* Regni Poloniæ Cancellarius Decanus,
(h) X. 4. Cracovienſis, prout habet *Dlugoſſus* (h) & *Miechovita*. (i)
(i) p. 248. Huic autem *Januſſio* cæteri omnes Scriptores nempe *Crome-*
(k) p. 22. b. *rus*, (k) *Herburt*, (l) *Neugebauer*, (m) *Sarnicki*, (n) *Bielski*, (o)
(l) p. 281.
(m) p. 213. *Paprocki*, (p) *Damalewicz*, (q) & *Szczygielski*, (r) nomen Fa-
(n) p. 1147. miliæ tribuunt *Strzeleccii*, fuit autem revera *Suchywilckius*
(o) p. 243
(p) Ogrod. 166. b. ſed uſu tunc paſſim recepto, à Bonis *Strzelce*, *Strzeleccius*
(q) Gneſn. 192 vocabatur, etſi non fuerat ex verâ familiâ *Stzelecciorum Wą-*
(r) Tinec. 175 *trobkie* Stemmatis *Okza*, utpote quæ gentilitio inſigni, vulgò *Grzymała* dicto, utebatur.

Hoc itaque *Strzeleccii* in Hungariam abeuntis nomen, memoriæ (ut opinor) Commentatoris hæſerat, & dum aliqvod Poloni ſatrapæ, identidem in Hungariam pro Comitiis *Buden-*

*Budenſibus* peregre euntis, nomen excogitandum fuerat, remi-niſcentiâ ut fit ſuggerente, illud *Strzeleccii* fors mentem ſubiit, nec ab eo Commentator abſtinuit, & ut adſcititum nomen, à genuino plane alienum, in diverſo individuo effingeret, Cancellarium Regni, ſubitaneâ Metamorphoſi *vivæ vocis* (ſii Diis placet) *oraculo* transformavit.

Quod autem à Commentatore dicitur, ab hoc *Strzeleccio* Regni Theſaurio, clam extradita fuiſſe Regni inſignia & in Hungariam aſportata ad Reginam Matrem *Eliſabetham*, id de-facto ipſe Rex *Ludovicus* ſvadente *Eliſabetha*, fecit, prout diſerte teſtatur *Dlugoſſus* (s) his verbis. *Ludovicus Rex pauco tempore Cracoviæ immoratus, Reginam Eliſabetham Matrem ſuam, ad gubernandum Regnum Poloniæ relinquens, non ſtabilito, non ordinato Regno gradu concito, in Hungariam, Coronam* Regni *Poloniæ materialem, Sceptrum, Pomum Gladium & cætera, Regni inſignia ex Cracovia auferens ne alius Rex à Polonis ſubſtituendus, quod quam maxime & propediem verebatur ob ſui abſentiam, & nonnullorum* Poloniæ *Ducum juſtiorem ſucceſſionem accidere illis poſſet inſigniri, per viam quâ venerat rediit.* Idem habet & Miechovita (t) *Rex inſuper Ludovicus Genitrice ſua ut fertur inſtigante, ne alius Rex à Polonis ſubſtitueretur, Coronam Regni Poloniæ materialem* Sceptrum, *Pomum, Gladium, & cætera inſignia Regia in Hungariam accepit.* Idem *Bielſki* in Chronico Poloniæ ex Bernardo *Vapavio* deſumpto, & in Polonicum idioma translato, quod in ejus *Chronico mundi* (u) inſertum reperitur: Idem & *Strykowſki* (x) ſentit, qui addit, illa Regni inſignia, tam diu in *Hun-*

(s) X. p. 13.

(t) q. 250.

(u) Bielski Chron. Swiata 377.

(x) Stryk. 452 & 540.

*Hungariâ* hæſiſſe, donec ea, A. demum 1412. Règi Vladiſlao *Jagelloni*, tunc Budæ præſenti, à *Sigismundo* Rege Hungariæ dono data fuerint: Conferatur *Cromerus* (y) & Nicolaus *Henelius* (z) in Annalibus Sileſiæ.

(y) Chromer. 280. b.

(z) In Sommersb. Corp. Sil. II. 38.

De hoc prætenſo *Strzeleccii* cirimine, ex Hungariâ Fratribus ſuis, maximè verò *Granovio* notificâſſe, Andreas *Lubranſcius* Epiſcopus à Commentatore dicitur. Nulla hic in editione Koludzciana additur Epiſcopatus appellatio. Ego verò in aliquot Copiis Manuſcriptis *Transactionis Glivianenſis* diverſimodè illam exaratam legi, in aliis quidem *Vladiſlavien.* in aliis vero *Vratislavien.* Verum neuter Epiſcopatus nec tum nec unquam Epiſcopum habuit nomine *Lubranſcium*, nec tum habere potuit. *Vladislavienſi* enim, tum (nempe ab A. 1366 ad 1383) præfuit *Zbylutus* (gente *Golanczevius*, quod familiæ cognomen, ejus nomini adſcribi debet in ſerie Epiſcoporum R. P. *Nieſiecki*, (a) fuit enim ſui in Epiſcopatu Prædeceſſoris Matthiæ *Golanczevii* ex Fratre Nepos, ut habet *Damalewicz* (b). *Vratislavienſis* verò Epiſcopatus præter quod jam ab A. circiter 1326. locum in Senatu Poloniæ amiſit, tunc poſt *Precislaum Pogorzelſki* (qui obiit A. 1376.) ſeptem annis vacavit, donec *Theodorico I.* non admiſſo, *Venceslaus I.* Dux *Lignicenſis* Epiſcopus *Lubuſſenſis* & poſtea S. R. E. Cardinalis A. 1328. eidem præficeretur, prout teſtatur *Dlugoſſus* noſter & alius Anonymus (quem tamen eundem *Dlugoſſum* crediderim) uterque in vitis Epiſcoporum *Vratislavienſium*, (c) tum & Nicolaus *Henelius* in iisdem vitis (d).

(a) Nieſ. Kor. 32.

(b) Damal. Vlad. 244.

(c) In Corp. Sommerb Sil. II. 168. & 192.

(d) Ibid. III. p. 11. 12.

Habu-

Habuit quidem *Lubranſcium* Epiſcopum Diæceſis *Plocenſis* & ſucceſſivè *Posnanienſis*, at non *Andreæ* ſed *Joannis* nomine inſignitum, quique nonniſi poſt 115 Annos ab obitu Regis Ludovici 1383. nempe A. 1497. priorem, annoſque ſequenti poſteriorem Epiſcopatum eſt adeptus, teſte Stanislao *Lubinſcio* (e) in *Vitis Epiſcoporum Plocenſium* & Jacobo *Brzeznickio* in continuatione *Dlugoſſi*, *Vitarum Epiſcoporum Posnanienſium*. (f)

(e) Lubinski Ploc. 149.

(f) Dlugoſ. Poſn. O. 3.

Bene perſentiebat hanc objectionem *Auguſtinus Koludzki*, ideoque eandem ſoluturus, ait, apud *Paproccium* legi, de hoc Epiſcopo *Lubranſcio Andrea* illo ſæculo vivente, qui quantus vir fuerit *Concilium Conſtantienſe* id (referente eodem ſcriptore) teſtatum reliquiſſe. Hoc teſtimonium *Paproccii* (g) allegatum quidem at ſine die & Conſule, id eſt absque expreſſione libri & folii, reperitur in ejus ſecundo opere Stemmatographico ubi hæc formalia leguntur.

(g) Herb. 279

*Andreas dictus Laſcaris de Gostawice Epiſcopus Posnanienſis vixit in Epiſcopatu 16. annis, aſſumptus fuit poſt Petrum (Wyſz) ſtemmatis Leſzczyc alias Brog in A: 1392. obiit 1408. huic ſucceſſit Miroslaus de Brudzewo. Scribitur de hoc Andrea, quod ter concionem habuerit in Concilio Conſtantienſi (*) & quidem Germanico idiomate, quod dum haud apprimè calleret, ab adſtante ſibi Præsbytero illius gnaro, verba ſibi ignota, ſuggerere faciebat.*

Ex

(*) Una ex his orationibus de pace & unitate Eccleſiæ reperitur in Tomo II. Concilii Conſtantienſis Hermanni von der Hardt.

Ex his omnibus circumſtantiis, apparet *Paproccium* loqui de 41. Epiſcopo Posnanienſe, niſi quod in annis erret, hic enim Epiſcopus non 1392, ſed 1414. (mortuo Petro *Wyſz* ultimâ Septembris hujus anni) fuit aſſumptus, & non 1408. ſed 1426. demum 25. Auguſti obiit (teſte *Dlugoſſo* (h) in *vitis Poſnanienſium*) & ita non 16. ſed tantum 12 annis in Epiſcopatu vixit. Hunc errorem tranſcripſit quoque *Okolski* (i) dum eum dicit in *Epiſcopatu vixiſſe A.* 1398. *ſecundum alios verò anno* 1408. Ex hoc luculentiſſimo ab Epitaphiis ſerieque chronologicâ firmato *Dlugoſſi* teſtimonio patet, *Paproccium*, quoad aſſumtionem ad Epiſcopatum *Andreæ*, 22. annos, quad mortem vero ejus annos 18. anticipare. Exinde tamen nihil pro *Kotudzcio* evinci poteſt, quem ex ore ipſiusmet judico. Citat ille *Paproccium*, Paproccius verò perperam 22. annis propinquiorem temporibus *Ludovici*, facit *Andream* Epiſcopum. Supponamus tamen, *Paproccium* hic loci non errâſſe, & *Andream* anno 1392. ad Epiſcopatum evectum fuiſſe abſurda & riſu excipienda nihilominus *Katudzcius* narrat, qui hoc teſtimonio *Paproccii* fretus vult evincere, ſuum *Andream* in Epiſcopatu vixiſſe têmporibus Ludovici, qui decennio ſecundum falſum ſuppoſitum & malam *Paproccii* (quem ſequitur *Koludzcki*) chronologiam, reverà autem 32. annis ante evectionem Ludovici, in vivis eſſe deſierat.

(h) Posn. M. I, & 3.

(i) I, p. 214.

Si *Koludzkius* fontes ipſos ſcriptorum conſulere voluiſſet, certè in tam craſſum & ſeſqui-pedalem achronologismum non procidiſſet; legiſſet enim apud *Dlugoſſum* Vladislaum Jagellonem,

lonem, qui Ludovico ſucceſſit, Electioni *Andreæ* adfuiſſe & proinde *Andream* temporibus *Ludovici* Epiſcopum eſſe non potuiſſe. *En verba Dlugoſſi* (k) *Vacatione Poſnanienſis Eccleſiæ & Electionis die ſub præſentia Vladislai II.* (*Jagellonis*) *Regis incidente, acceſſit ipſe Vladislaus Capitulares, & unum ex quatuor videlicet aut Alexandrum Nepotem ſuum ex Sorore Ducem Maſzoviæ, aut D. de Skrzyu Vice-Cancellarium Regni, aut ANDREAM Lyaſkarz* (*) (*Laſcari*) *aut Joannem Pella &c. eligi depoſcebat.* (k) Poſn. L. 8.

Deinde is ipſe ANDREAS *Laſcaris* Epiſcopus Poſnanienſis non fuit ex familiâ *Lubranſciorum*, prout à Commentatore & ejus defenſore *Koludzkio* perhibetur, ſed ex familia *Goslaviciorum*, quæ familiæ licet ſint ejusdem Stemmatis, *Godziemba* vulgò dicti; diſtinctas tamen habent origines, illasque bene ſeorſivo Paragrapho ſe junxêre *Paprocki* (l) & *Okolſki*, (m) ſed hæc nihil *Koludzkium* morantur, nec jugera contradictionum, achronologiſmorum, æquivocationum admittere veretur, tantum ut hanc fabellam *Rokoſſii Glinianenſis* manibus & pedibus unguibus & roſtro veritati vindicâſſe videatur. (l) Herb. 279. (m) l. 214.

Dum hæc ſcribens *Dlugoſſum* loco citato in vitis Epiſcoporum

N

(*) Hoc nomen Lyaskarz latino nomini Gratianus reſpondere, crediderim à Laska (Gratia) deſumpta ethymo, & ita ortam eſſe denominationem Laſcaris, neque enim ullam aliam hujus Andreæ Goslawiccii cum Laſcarorum Cæſareo Orientali familia Sangvinis connexionem video. Hinc Epiſcopum iſtum fuiſſe binominem nempe Andream Gratianum autumo.

porum Poſnanienſium revolvo, iterum in hac fabellâ, origi-
nem falſi, ſeu potius partem veri (ut fieri ſolet) falſo im̃ix-
tam me detexiſſe, remque acu tetegiſſe, haud aſſeverare
dubito. Legitur ibi (n) præfatum Epiſcopum Andream
Laſcaris *electum fuiſſe abſentem & BUDÆ tunc cum aliis Procu-
ratoribus Regiis negotia Regis Poloniæ contra Cruciferos apud audi-
entiam Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis promoventem.*
Budæ commorabatur hic Epiſcopus Andreas *Goſtawicki* Stem-
matis *Godziemba*, pro tractandis negotiis à Rege (*Vladiſlao
Jagellone*) miſſus. Buda verò cum ſit Metropolis *Hungariæ*,
& ibi coacta fuerint Comitia Polonorum ſub *Ludovico*, idcir-
co conatibus Regiis & perverſis Procerum conſiliis reſiſtens
Epiſcopus fingitur Andreas *Lubranski* Gentilitio inſigni *Go-
dziemba* condecoratus. Sed jam, ut magis atque magis de-
prehendatur, Commentatorem, pullam *Rokoſſiani* luctûs la-
ciniam, candidis filis conſuere conſveſcere, inquiramus ſimi-
liter de Raphaële *Granovio*, qui eodem tempore Supremus
Regni Mareſchallus fuiſſe, ab ipſo perhibetur.

Quem ſuperùs, *Ducem Exercitus Regni* dixerat Com-
mentator, nunc *Supremum Regni Mareſchallum* eſſe contendit,
vulgaris paræmiæ oblitus *Mendacem oportere eſſe memorem.* (o)
Concedo equidem, antelatas anno 1669. leges, *de incompati-
bilitate Scipionis Mareſchalcalis cum Clavâ Ducali*, plures fuiſſe
Proceres utrâque dignitate coruſcos, nego tamen & perne-
go, utramque hanc Dictaturam, plus dico earum alterutram,
noſtro *Granovio* collatam fuiſſe, ſed adhuc plus dico, dum
illum

(n) Dlugoſſ. Poſnan. L. 8.

(o) Kozuchowski p. 264.

illum neutrâm tenuiſſe, plane aſſevero. Primam partem Theſis jam ſuperiùs præmiſi, ubi de *Granovio* Exercituum Duce agebatur, nunc reſiduam cathegoriam, quod nusquam fuerit Supremus Regni Mareſchallus, aſſumo probandam.

Quia *qui bene diſtiguit*, *bene docere* dicitur, ideo & nobis inpræſentiarum diſtinctione uti expedit. *Sieniaviorum* illuſtriſſimam in Poloniâ Familiam, eandem cum Domo *Granowſciorum* habere originem, eodemque Gentilitio Inſigni vulgò *Leliwa* dicto inſigniri, in confeſſo eſt. Nempe præclaræ originis *Granowſcianorum* unus, *Raphaël II. de Granow*, Demetrii Filius, Vincentii verò & Raphaëlis I. Nepos, vinculo conjugali ſibi ſocians Hæredíſſam *Sieniawska*, Sponſæ nomen ſibi aſſumpſit, & abhinc ejus deſcendentes, usque ad decimum & ultimum rectæ lineæ gradum, dicti ſunt *Sieniawii*, & hi fuêre; *Hieronymus I.* cui nupſit *Cebrowska*, *Nicolaus I.* cui *Kolanska*, *Hieronymus II.* cui *Tarłowna*, *Adam I. Hieronymus* cui *Koſtczanka*, *Procopius* cui *Chodkiewiczowna*, *Adam II. Hieronymus* cui *Potocka*, *Nicolaus* cui Pr. *Radziwilowna* & *Adam III.* (cui nupſit *Lubomirska*) de Domo ultimus, Ejusque Filia unica *Maria-Sophia* primo voto *Denhoffia*, moderno Principiſſa *Czartorinſcia* Palatina Ruſſiæ, ita tamen ut illorum nominibus præfigeretur ſemper agnomen *Comitum de Granow*. Igitur ex lineâ Comitum de *Granow*, *Sieniawiorum* fuêre Quatuor Duces Exercituum Regni, nempe *Nicolaus I.* Palatinus Ruſſiæ ex Campeſtri Dux Supremus qui obiit 1569. *Nicolaus II.* Caſtellanus Camenecenſis Dux Campeſtris, qui

obiit 1582. *Nicolaus IV.* ex Curiæ Regni Mareſchallo, Palatinus Volhiniæ & Dux Campeſtris, qui obiit. 1684. & denique p. m. *Adamus* Caſtellanus Cracovienſis ex Campeſtri Dux Supremus, qui obiit 1726. Fuêre item duo Mareſchalli videlicet *Procopius II.* Nicolai I. Ducis Exercituum ex fratre Procopio I. Nepos ex Curiæ Regni Mareſchallo, Supremus, qui obiit 1596. & *Nicolaus IV.* Curiæ Mareſchallus ac demum Dux Campeſtris (de quo ſuperius) prout id videre & in Arbore Genealogicâ Familiæ *Sieniaviorum*, quam pro uſu privato ex *Paproccio*, *Okolskio* & aliis Scriptoribus ac monumentis huc acientibus, mihi congerere libuit.

Sed nihil ad rem præſentem cum iſtis *Granowio Sieniaviis*, nullus enim eorum, nomine *Raphaëlis* inſignitus, nullusque 16. ſæculo antiquior deprehenditur, at hic de temporibus Ludovici ſæculo duntaxat 16. agitur. Ad ſolos itaque primitivos *Granovios* nobis redeundum eſt. Hîc verò duos *Raphaëles* cerno, nempe *Raphaëlem I.* Vincentii ac Demetrii fratrem ac *Raphaëlem II.* prioris ex hoc Fratre Demetrio Nepotem, qui ſocietate thalami fœdus (uti ſupra dictum eſt) cum Hæredişſa *Sieniawskiâ* tenuit, illorum verò neuter nec Ducis Exercituum Regni, nec Mareſchallatûs Regni dignitatem obtinuit, id quod colligitur ex dictâ Genealogiâ, tum ex *Paprocio* qui certe illud decus domeſticum in deſcribenda familiâ haud prætermiſiſſet, tum denique ex ſyllabo horum Magiſtratuum à R. P. *Nieſiecki* collecto, & authoritatibus noſtrorum Hiſtoricorum per ſingula firmato. Quod attinet *Ducis Exercituum*

Magi-

Magiſtratum, *Granovio* à Commentatore adjectum, jam abunde ſuo loco dictum eſt, igitur de commentitio *Supremi Regni Mareſchallatus* officio *Granovio* aſſerto, pauca effari liceat.

Antiquiores *Caſimiri M.* temporibus, Poloniæ Mareſchallos nunquam mihi in noſtris Scriptoribus vetuſtisque monumentis ac Diplomatibus reperire contigit, unde in eam R. P. *Nieſiecki* (p) facile pertrahor opinionem; Caſimirum, A. circiter 1366. primùm, diverſis Provinciis à Regno avulſis, in unum demum Reip. Corpus coalitis, dignitatem *Mareſchalli Regni* conſtituiſſe. Primum itaque hoc Magiſtratu condecoratum crediderim *Dobieſlaum Mierzb* illuſtriſſimæ Familiæ *Fredrorum* Anteſignanum. Pollebat is, (ut teſtatur ex *Paprocio* (q) & *Okolſcio* (r) Franciſcus *Glinka* (s) in opuſculo *Zwierzyniec Jednorożcow*) gratiâ Regis Caſimiri M. Mareſchallus Aulæ per munia belli clarus, tantâ verò petebatur invidiâ, (uti ea Principum accubat gratiæ) viri cujusdam Germani, ut nulla reventiâ Palatii Principis, verbali primum contracto litigio, arma in Dobieslaum ſtringeret Germanus, ſed Dobieslaus valentior, arte declinato adverſarii gladio & ſui juris facto, afflixit incruento verbere Germani caput ut Germanicè exclamaret repetens, *Fried Herr! Fried Herr!* Pacem (te poſco) Domine, unde ab eo vocabulo Dobieslaus pro venuſtate jocantis aulæ ac Regis appellatus *Frieder* inde ſeriò ab omnibus *Fredro* & ab eo *Fredrovii*.

(p) Kor. 250.

(q) Herb. 476

(r) l. 65.

(s) præf. a. 7.

Huic in Mareſchallatu Regni ſucceſſit circa A. 1378. Jo-

annes de *Tęczyn* Hæres de *Morawica* Frater *Andreæ* Palatini Cracovienſis, quem *Jaſconem Owcza* vocat Privilegium
(t) Herb.p.53 Caſimiri M. apud Paprocki (t) obvium, quale *Ovis* epithetum, ipſi fuiſſe datum, vel exinde colligitur, quod in quodam Diplomate Regis Vladislai Jagellonis Civitati Leopoli-
(u) Kor. 250. enſi inſerviens, & à R. P. *Nieſiecki* (u) citatum, ita ſubſcripſerit Joannes *Schoff* (id quod Germanicè, prout & *Owcza*
(w) Herb.16. Polonicê *Ovem* ſignificat) de quo conferatur Paprocki. (w)

(x) II. p. 72. Quod attinet Raphaelem *Granovium*, eum *Okolſki* (x) vocat quidem *Ducem Exercituum* & *Mareſchallum Regni* (id,
(y) Naram. Auror. 11. quod ex eo & R. P. Naramowski in *Auroris Solis Sarmatici* hauſiſſe videtur) ſed nullum Authorem citat, niſi Genealogiam Sienavianam. Credibile eſt igitur, hujus Genealogiæ Compilatorem ex hoc limoſo relationis *Glinianenſis* (*) fonte, rivulum hunc derivaſſe. Occaſionem verò in adſciſcendo pro Mareſchallatu Regni fictitio nomine Raphaëlis *Granowſki* Capitanei Sendomirienſis, præbuiſſe videtùr Commentatori *Raphaël Tarnowſki* (**) qui defacto A. 1391. à morte Ludovici nono fuit ſupremus Regni Mareſchallus & Capitaneus ſimul ac Caſtellanus *Sendomirienſis*, prout id teſtatur erectio Collegiatæ Eccleſiæ Cracovienſis omnium Sanctorum, apud
(z) Herb.377 *Paproccium* & *Okolſcium*, (a) unde ſervato nomine *Raphaëlis*
(a) Okol.1166 ſerva-

(*) Gliniany polonicè ſignificat limoſus.

(b) Kor.205 & (**) R.P. Nieſiecki (b) in uno loco Tarnovium, in ſaltero verò Jaroslawſcium vocat, cum tamen idem ſit, utroque enim hoc vocabu-
(c) Herb. 377 lo Comites Tarnovii tum utebantur conferatur Paprocki. (c)

ſervatoque ſimiliter Capitaneatùs *Sendomirienſis* titulo, immutatâ verò in cognomine ſyllaba *Tar.* in *Gra.* facile ex Raphiaële *Tarnowski* ſupremo Regni Mareſchallo Capitaneo Sendomirienſi, effictum fuiſſe Raphaëlem *Granowſcium* ſupremum Regni Mareſchallum Capitaneum Sendomirienſem, dici poterit.

Sed jam ad alios Senatores, quos in Comitiis Budenſibus adfuiſſe aſſerit Commentator, veniamus. Horum primus dicitur *Felix SIECIECH Palatinus Lublinenſis.* At nullum *Sieciechium* nomine Felicem fuiſſe, conſtat ex iis, quæ de hac *Toporeorum* familia ſcripſère *Paprocki* (d) & *Okolſki*, (e) (d) Herb. 11.
ubi duorum *Sieciechiorum* Palatinatorum Cracovienſium fit (e) III. 10.
mentiò, at nullius *Lublinenſis* non tantum verò hic Palatinus à Commentatore effictus eſt, ſed & ipſe quoque *Lublinenſis* Palatinatus, conſtat enim ex *Cromero*, (f) *Bielſcio*, (g) *Strykowſcio*, nonniſi A. 1474. à Caſimiro Jagellonide ex avulſo à Palatinatu Sendomirienſi (quem in duas partes diſpeſcuerat) Tractu, efformatum fuiſſe Palatinatum *Lublinenſem*, cum antea Lublinenſis Satrapia, ſolâ tantum gauderet Caſtellaniâ. Nec dici poteſt Felicem *Sieciechium* ſaltem Caſtellanum Lublinenſem fuiſſe, nam ex *Nakielſcio* conſtat, hâc Caſtellaniâ illo tempore condecoratum fuiſſe Petrum *Kmitam*, qui poſtea ad Palatinatum Sendomirienſem evectus eſt. Deinde Commentator ſuperius *Sandivogium de Subino* Palatinum Lublinenſem, qui defacto Caliſcienſis fuit, vocavit, ac proinde ſibi ipſe hîc contradicit.

(f) Crom. L. 28. p. 415. b.
(g) p 4 & 462
(h) Stryk, 653
(i) Miech, 333

Alte-

Alterum in ordine lego *Joannem* SŁUZEWSKI *Palatinum Siradienſem.* Sed & iſtud nomen confictum eſſe apparet, nam ex *Słuzewiorum* familia hi tantum fuêre Senatores 1.) *Joannes* Caſtellanus Breſtenſis in A. 1475. de quo *Paprocki* (k) & *Okolski* (l) 2) *Matthias* Palatinus primum Junivladislavienſis deinde Breſtenſis, qui, prout & alii hîc recenſiti, fuit Stemmatis *Sulima*, (non *Radwan*, ut habet R. P. Nieſiecki) (m) hic obiit A. 1496. & fit ejus mentio apud *Łaski* (n) (3) *Petrus* ex Caſteliano Palatinus Caliſſienſis, qui obiit 1550. ejusque meminerê *Nakielski* (o) & *Ponętowſki*, (p) (4) *Joannes* Palatinus Junivladislavienſis & ſucceſſivè Breſtenſis, qui obiit 1580. ejusque mentionem fecerê *Paprocki* (q) *Okolski*, , (r) *Bielski*, (s) *Zernecke*, (t) in *Chronico Torunenſi* ubi Germanicæ vocis inflexione vocat eum *von Schlauſen*) ac Nicolaus *Rey*, (u) in *Zwerzyniec*, ubi vocatur Palatinus *Vladislavienſis*, ita enim Palatinatus *Breſtenſis-Cujaviæ* quondam nuncupabatur) & itidem ſtemmate *Sulima* inſignitus cernitur, non *Radwan* ut habet R. P. Nielski. (w)

(k) Herb. 461.
(l) III. 172.
(m) Kor. p. 142 & 147.
(n) F. 110.
(o) Miechov. 629.
(p) in Comm.
(q) l. c.
(r) l. 2.
(s) p. 619. & 652.
(t) p. 111.
(u) p. 52. b.
(w) Kor. 148.

Nullus itaque *Słuzewius*, Siradienſem unquam tenuit Palatinatum, quo illis temporibus potiebatur *Svantopelcus* Stemmatis *Lis* ſeu *Bzura*, prout id ex Diplomatibus *Vladislai Jagellonis* Regis, Civitatibus Cracovienſi & Leopolienſi A. 1372. & 73. datis, colligit R. P. *Nieſiecki* (x) eique Succeſſorem præbet *Nicolaum* Stemmatis *Pomian* & dicit occiſum fuiſſe A. 1400 citatque *Okolſcium* ſed quivis *Okolſciam* (y) legens facile animadvertet, illa verba *Occiſus* 1400. reſpicere non hunc *Nicolaum* ſed Johannem *Chebdam*; hæc erronea an-

(x) Kor. 131.
(y) II. 459.

ni

nì ſuppoſitio, occaſionem ei præbuiſſe videtur, eandem perſonam bis nempe num. 6. & 9. in ſerie Palatinorum Siradienſium ponendi, ſub diverſâ nomenclatura, videlicet *Chebdæ* ad A. 1360. & *Nicolai* ad A. 1400, cum tamen ex verbis *Okolſcii* appareat eandem fuiſſe perſonam nomine *Nicolaum Chebda*, niſi quod & *Okolski* parumper à veritate deviare videatur, dum hunc *Nicolaum* ait Palatinum fuiſſe, *Venceslao Bohemo* regnante. Is enim Rex regnare & vivere deſiit A. 1305. Jam verò Jacobus *Koniecpolius*, *Chebdæ* in Palatinatu Siradienſi Prædeceſſor, obiit demum A. 1309. prout ex Inſcriptione ſepulchrali *Koniecpolſcianâ*, habet *Paprocki* (z) & is ipſe *Okolski*, (a) unde facile eruitur, non potuiſſe regnante *Venceslao* Palatinatu Siriadienſi potiri *Chebdam*, utpote qui *Koniecpolium* in Palatinatu Siradienſi habuerit Prædeceſſorem, ſed nolim dicere immediatum, ut habet ibi R. P. Nieſiecki, nam ſi *Koniecpolius* obiit 1309. & *Chebda* adhuc A. 1346 . ita enim debet legi non 1246) fuit Caſtellanus Breſtenſis, (ut ab eodem R. P. Nieſiecki (b) ex Diplomate Caſimiri M. erectionis Civitatis Bydgoſtienſis aſſeritur) certe in hoc ſpatio 37. annorum debuit aliquis alius in Palatinatu Siradienſi interceſſiſſe hucusque nobis ignotus.

(z) Herk. 173
(a) II. 428.
(b) p. 220.

Sed jam ad tertium Senatorem devenio, quem Commentator dicit *Gregorium LASSOTA Palatinum Belzenſem*. Verum nullum *Laſſotam* nomine *Gregorii*, nullumque Palatinatu Belzenſi inſignitum, unquam fuiſſe, erutâ ex *Paproccio* (c) & *Okolſcio* (d) hujus domus Genealogiâ antequam deducam, his prænotare haud ſupervacaneum duco; Hujus Familiæ ſtemmatis *Rawicz* Aborigines, dictos quidem initiò *Gowor-*

(c) Herb. 44.

O *kios*,

*kios*, a primo ſuo Protoplaſta *Prandotino Goworek* in quintâ generatione nomen *Goworek* in appellationem *Laſſotæ* commutâſſe tali occaſione, quod *Laſſotæ* (quo nomine polonicè venit *Sylveſter*) *Goworekii* Caſtellani Sendomirienſis Filii, ad conſervandam hujus inſignis Viri memoriam; filiis & nepotibus ſuis, paſſim nomen *Sylveſtri* alias *Laſſotæ* in baptiſmo imponere moris habebant, ità ut ſucceſſu temporis nomenclatio Sancti derivativè ab uno in totam tranſierit familiam, prout id teſtatur P*aprocki* (e) Horum igitur *Laſſotarum* ſeu mavis *Gowoekiorum* talis fuit Genealogia.

(e) Herb. 430

Prandola Goworek Wars Groth, Cæte-

I

Goworek II. (*) Palat. Sendomir. obiit 1202.

I

Goworek III. Caſtell. Zawichoſt ſub Vlad. Lokethone.

I

Sylveſter (id eſt Laſſota) Goworek Caſtell. Sendom.

I

Laſſota id eſt Sylveſter) Caſtell. Lublin.

I

Thomas Laſſota Vexill. Lublin. tempore Vlad. Jagellonis.

I

N. Goworek Laſſota

I

Andreas Laſſota

I cujus Liberi

| | | | |
|---|---|---|---|
| Stanislaus Succam: Lubl. Eques Ordin. Luſit. | Johannes Obiit Steril. | Nicolaus Canonic. Poſn. | |
| Petrus Milesaurat. | David Aulicg Aug. I. | Chriſtoph. Pocill. Lubl. | Andreas. Venat. Lubl. |

(*) Ejus Elogium vide apud Starovolſcium (f) in Bellatoribus Sarmatiæ: vide quoque de eo apud Dlug. Miech. Cromer. Bielski. (g) Ejus Epitaphium vide in Starovolſci (h) Monum. Sarmatarum.

(f) Bell. 29.
(g) p. 137.
(h) MS. 788.

Cæterum, ditio *Betzenſis* nondum illo tempore ad Poloniam ſpectabat, & licet Ludovico, A. 1377. mediante *Keyſtuto* Duce Lituaniæ Caſtrum *Belz* Dux Georgius traderet, ſtatim tamen ab illo ſub ſponſione fidelis adminiſtrationis illud recipiebat, notante *Dlugoſſo* (i) A. deinde 1388. *Vladiſlaus* *Jagello* eandem terram, Dotis nomine cum ſorore Alexandrâ, *Zemowito* Maſoviæ Duci contulit (ut habet *Dlugoſſus*) (k) quæ nonniſi A. 1462. poſt Ejus Ejusque Fratris Vladislai ſterilem deceſſum, Andreâ *Odrowącio* Palatino Ruſſiæ, & Joanne K*uropatwa* Succamerario Lublinenſi authoribus, ad integrum Reip. corpus rediit, ut habet *Dlugoſſus*, (l) *Cromerus* (m) & *Bielſki*. (n) Verùm eſt quidem, adhuc ſub Ducibus Maſoviæ ab A. 1388. ad 1492. hanc Satrapiam ſuos habuiſſe Palatinos, ſed illorum tres tantum Statutum Maſoviæ commemorat, nempe Paulum de *Radzanowo*, 1436. Joannem *Kmaczota* de *Nieborowo* 1452. & Joannem *Matdrzyk* 1460. & nullus alius *Laſſota* unquam legitur. Ex antedictis igitur patet, *Gregorium Laſſotam* nec temporibus *Ludovici*, nec ullo alio tempore, Palatinum Belzenſem fuiſſe, deinde quod magis, temporibus *Ludovici*, Palatinatum Belzenſem nondum inſtauratum fuiſſe, tum quod maximùm *Gregorium* nomine, nullum *Laſſotam* unquam extitiſſe.

(i) X. 36.
(k) X. 119.
(l) l. 13. f. 288.
(m) p. 372.
(n) p. 423.

Succedit in ordine quartus *Staniſlaus de KREPA*, vel ut in aliis MSS. exemplaribus habetur, *de Kępa*, *Caſtellanus Sendomirienſis*. Hîc præprimis dicendum venit, alios eſſe *Krempios* (*de Krempa*) Stemmatis *Nałęcz*, alios *Kępios* (*z Kępna*)

Stemmatis *Lodzija*, alios Kępſcios, Stemmatis *Jaſtrzębiec*. Ex *Krępſciis* fuit *Petrus*, Palatinus Sendomirienſis, qui occiſus eſt Anno 1287. (uti legitur in vitâ S. Kunegundæ à *Dlugoſſo* ſcriptâ, & à *Moiecki* translata) ex *Kępſciis* fuit, *Vincentius* Palatinus Poſnanienſis, qui obiit A. 1386. ejusque meminit *Bielski*, (o) Ex Kçmpſciis verò fuit *Stanislaus* Palatinus Plocenſis, A. 1560. cujus mentionem fecit Lucas *Paprocki* Soc. Jeſu in *Miraculis B. V. M. Sieprſcenſis*. Horum trium Senatorum tantùm factam apud Scriptores mentionem animadverti, unde ex Petro *Krępſcio* Palatino Sendomirienſi effictum fuiſſe à Commentatore nomen Stanislai *Krępſcii* Caſtellani Sendomirienſis facile crediderim vel exinde, quod illo tempore (nempe A. 1381.) Caſtellanatum Sendomirienſem tenuiſſe Joannem *Tarnovium*, ex *Januſzowio* (p) in Statuti appendice de Interregnis, *Bielscio* (q) & *Okolſcio*, (r) eique Anno 1382. ſucceſſiſſe Creslaum de *Kurozwęk* ex *Dlugoſſo* (s) ſatis ſuperque conſtet.

(o) P. 261-267

(p) Statut. B. 74.

(q) p. 267.

(r) II. 65.

(s) X. 55.

Siſtit ſe denique in ordine quintus *Hieronymus* SZPOT, *Caſtellanus Biecenſis*. Quod familiam *Szepotorum* attinet, ea eſt de *Duninorum* propagine, quorum deſcendentes unius lineæ, à *Wola Skarbkowa* dicti ſunt *Wolſcii*, alterius verò, a Wola *Szpotowa*, *Szpotii*. Eos *Paprocki* ſicco præteriit veſtigio, *Okolski* (t) verò ex iis ſaltem unicum Senatorii Ordinis allegat virum, nempe Caſtellanum Sendomirienſem nomine *Nicolaum* ſed & id perperam, nam in Privilegio Unionis Terræ *Belczenſis* 1462. quod in *Januſzovii* (u) Statuto reperitur, & ab

(t) II. 9.

(u) Stat. 779.

& ab ipſo hîc citatur, non inter Caſtellanos, ſed inter Vexilliferos (quorum ſubſcriptiones in illo Privilegio immediatè ſequuntur) ponitur, adeoque non Caſtellanum, ſed Vexilliferum Sendomirienſem fuiſſe colligitur.

Cæterùm facile crediderim Caſtellanatum Biecenſem eo tempore tenuiſſe *Sandivogium de Vyr* (*Wyrzeyczyk*) Stemmatis *Nalęcz*, cujus bellum cum *Swatiborio* Duce Stetinenſi A. 1379. geſtum enarrat *Anonymus* (w) Archidiaconus Gneſnenſis Scriptor coætaneus, *Dlugoſſus* (x) & *Cromerus*, (y) niſi quod ibi nuncupatus veniat nomine Caſtellani *Bninenſis*, ſed id forte per typi ſphalma contigit, cum nunquam extitêrit hujus nominis Caſtellanus, unde pro *Bninenſi*, *Biecenſem*, legi debere autumaverim, plane tamen aſſeverare non auſim.

(w) In Sommersb. Scrip. Silſ. II. 121.
(x) X. 46.
(y) 230. Pol. 293.

Devenio jam ad commemoratorum à Commentatore Senatorum ultimum. Is dicitur *Joannes GOMOLINSKI Caſtellanus Siradienſis*. Verùm ex hac familiâ, tres equidem Senatores Caſtellanos, apud *Paproccium* (z) & *Okolſcium* (a) legimus (nempe *Staniſlaum* Roſpirienſem, Joannem I. Patruum ac Joannem II. Nepotem Spicimirienſes) Siradienſem autem nullum. Fuit inſuper ex eadem familiâ *Florianus* Succamerarius Siradienſis (Comitiorum A. 1598. Mareſchalus) unde ex *Floriano*, *Staniſlaum*, & ex Succamerario Caſtellanum *Siradienſem* à Commentatore efformatum fuiſſe crediderim. Quod attinet Caſtellanatum Siradienſem, eo, ab A. 1360. usque ad A. 1400. inſigniti fuêre Venceslaus *Kalinowski* & Joannes *Naropinski*, prout id colligitur ex *Okolſcio* (b) & *Paproccio*. (c)

(z) Herb. 200.
(a) I. 340.
(b) I. 36. & III. 323.

Trutinatis jam Senatorum, qui pro Comitiis *Budenſibus* iviſſe dicuntur nominibus, geſta ipſa horum Comitiorum perpendamus, & primo illud, quod à Commentatore dicitur, initio Comitiorum *fieri ſolitas à Throno Propoſitiones, congregato notificâſſe Senatui, nomine Regio Jaroccium Secretarium & Aulicum Regium*, verum uti alia omnia nomina, ita & iſtud eſſe adinventum mihi plane perſvadeo, deſumptumque ex noto in hiſtoriâ illo Stanislao *Jaroccio* Aulæ Reginæ *Barbaræ* Sigiſmundi I. Conſortis Mareſchallo de quo illud ſingulare narrat Jodocus Ludovicus *Decius* (d) in ſuo Chronico & ex eo *Bielski* (e) ac *Okolski* (f) quod mortem Heræ ſuæ, quæ 2. Octobris contigerat, unâ ſtatim ſeptimanâ, ſuo quoque obitu inſecutus fuerit nempe 10. ejusdem Menſis A. 1515.

In illâ *Jaroccii* nomine Regio factâ ad Senatores allocutione legitur, Ludovicum ipſis propoſuiſſe in Commutationem pro Territoriis Ruſſiæ Ducatum *Scepuſienſem* perpetuis temporibus ab Hungariâ avellendum, ſceptroque Polono adjungendum. Sed cum hunc ipſum ducatum, 30. ab hinc annis nempe A. 1412. à Sigiſmundo Rege Hungariæ (qui & Romanorum Imperator fuit) defactò ab Hungariâ avulſum, atque *Vladiſlao Jagelloni* (Ludovici Succeſſori) hypothecæ loco pro 80. millibus Sexagenarum Pragenſium mutuò acceptarum collatum fuiſſe exque eo tempore in ditione Polonica usq; in præſentem diem extitiſſe legatur apud *Dlugoſſum* (g) *Cromerum*, (h) *Neugebauerum*, (i) *Priluſium*, (k) Nicolaum *Henelium* (l) in Annalibus Sileſiæ, & Petrum de *Rewa* (m) in hiſto-

(d) In opuſc. ſuis p. 104 & 105. In Corp. Piſtoriano Scrip. Pol. II. 331
(e) p. 532.
(f) II. 596.

(g) l. XI. y. 333
(h) p. 281 & in Corp Piſt. II. p. 668.
(i) p. 236.
(k) Stctut. 797.
(l) In Corp. Sommerb. II. p. 308.
(m) Cont. V. p. 32.

hiſtoriâ Hungaricâ, facile opinor, Commentatorem exinde, dictæ Commutationis narrationem hauſiſſe & efformâſſe.

De Ducatu *Valachiæ*, cujus hic ſit mentio à Commentatore, nihil eſt quod dicam, manifeſtum enim Amanuenſis ſeu Typothetæ erratum eſſe patet, qui propter affinitatem vocum in Idiomate Polonico pro *Lwoſką* poſuit *Woloſką* & ita ex Territorio Leopolienſi effecit Ducatum *Valachiæ* alias *Moldaviæ*.

In eadem *Jaroccii* nomine Regio facta oratione, *Ludovicus* Regium Diadema pro Regno *Haliciæ* ſe à Summo Pontifice obtenturum pollicetur, quaſi verò illud, jam ab A. 1208. obtentum non fuerit, cum *Andreas* Rex Hungariæ, (ut habet *Bzovius* (n) & *Spondanus*) (o) ſcriptis ad Innocentium III. Litteris (à quo coronam Regni *Galitiæ* (alias *Haliciæ*) & *Vlodimiriæ* pro Filio ſuo *Colomanno* obtinuerat) ritum hujus coronationis Archiep. Strigonienſi demandari expoſtulaverat, quam tamen ceremoniam perficere contigit aliis Hungariæ Epiſcopis, adjuvantibus Beato Vincentio *Kadłubek* Epiſcopo Cracovienſi (teſte *Dlugoſſo* (p) & *Cromero* (q) id quod annotare neglexit in ejus vita *Starovolſcius*. (r) Expulſo verò (A. 1225.) ex Ruſſiâ *Colomanno* per *Mſciſlavium Chrobri* Ruſſiæ Ducem, deinde per *Danielem*, *Romani* Filium, ac proinde legitimum *Ruſſiæ* Hæredem ſolus titulus Regni *Galicienſis* & *Lodomerecenſis* (alias *Halicienſis* & *Vladimirienſis*) (s) tranſiit ad Reges *Hungariæ* Colomanni Succeſſores *Daniel* autem miſſus ad Innocentium IV. in Concilio Lugdunenſi

(n) A. 1208.
(n) ad eund. An.
(p) VI. p. 64.
(q) p. 127. b.
(r) Vit. Crac. p. 47.
(s) Strykowski 330.

tunc

tunc præſentem Oratoribus, Coronam cum titulo Regis *totius Ruſſiæ*, (t) (u) (w) (x) data prius Schiſmatis Græcani ex iis oris averruncandi ſponſione, à S. Sede obtinuit & in Regem inauguratus eſt, perficientibus Eccleſiaſticum ritum Anno 1246. *Opizone* Abbate Meſſanenſi, tum & Epiſcopo *Madenſi* S. Sedis Ap. Legatis, nec quicquam diſſvadentibus *Prandota*, *Białaczovio* Cracovienſi tum & aliis Poloniæ Epiſcopis, fidemque vafram & fluxam *Danielis* cauſantibus, id quod & eventus probavit, nam *Daniel* Schiſmati patrocinari minime ceſſaverat, quousque A. 1253. *Innocentius* miſſo poſtliminiò præmemorato *Opizio* jurejurando ſtipulatam non obſtrinxiſſet *Danielis* fidem, quod Rutheno ritu deſerto, Romanum in perpetuum una cum ſubditis ſuis ſequi non abnueret. Quo pactò denuo ritus Coronationis innovari & reiterari debuit, quam *Drohicinii* perfecere *Opizius* cum *Prandota* aliisque Polonis Epiſcopis, ut habet *Miechovita* (y) & *Stryjkowski*, (z) & ita trina in Regnum *Haliciæ* inauguratio, ante tempora Ludovici peracta eſt (*Leonem* enim *Danielis* Filium coronatum fuiſſe nullibi lego, licet illud falſò perhibeat *Sarnicki*. (a) Sed ad Commentatorem redeo.

Is, cum forſan legiſſet apud *Okolſcium*; (b) *Granowſciam* cuidam *Lubranſcio* fuiſſe in matrimonio junctam, *Lubranſcium* Epiſcopum (de quo jam ſuperiùs dictum eſt,) iterum commemorans, eum *Granoviâ* Matre fuiſſe progenitum aſſerit. At quàm imprudenter B. L. perpendat, ſimulque ſibi in mentem reducat, id quod ſufficientiſſime ſuperius deduximus, per hunc

(t) Dlugoſſ. L. 7. p. 706.
(u) Miechov. 142.
(w) Cromer. 160. b.
(x) Herb. 129.
(y) p. 161.
(z) p. 331.
(a) II. Edit. Dlug. p. 1901.
(b) II. 72.

hunc Epiſcopum *Andream Lubranſcium* (cujus Familiæ ſtemma vocatur *Godziemba*,) Commentatorem ſubintelligere *Andream Laſcaris Goſtawicki*, ejusdem ſtemmatis *Godziemba* Epiſcopum Poſnanienſem; Hujus matrem quidem *Dorotheam* vocat *Dlugoſſus* (c) in Vitis Epp. Poſnanienſium, Familiam tamen non expreſſit. Sed *Granowſcia*, nullatenus dici poteſt, nam *Granowſcia*, quam ibi *Okolski* (ex quo Commentator id exſcripſiſſe videtur) ait fuiſſe in matrimonium locatam *Lubranſcio*, dicitur nupſiſſe circa A. 1280. unde hunc Epiſcopum ex *Granoviâ* natum 146. annos circiter emenſum fuiſſe dici deberetur, numerando ab A. 1280. ad A. 1426. *Andreæ Laſcaris* emortualem. Deinde Commentator hunc Epiſcopum *Lubranſcium* ex *Granowiâ* natum, Raphaëli *Granowio* prætenſo exercituum Supremo Duci & Mareſchallo Regni facit coætaneum, at id quam ridiculè & abſurdè quivis perpendat, nam is *Granovius* ſecundum allegata ipſius *Okolſcii* (ex quo Commentatorem id hauſiſſe apparet,) erat *Lubranſciæ* Avus, adeoque Epiſcopi *Lubranſcii* Abavus, & proinde eidem coævus dici nullo modo poteſt. Ad faciliorem captum, ſchema Genealogicum ex *Okolſcio* (d) depromptum facili compendio Tibi B. L. ob oculos ſiſto.

(c) Poſn. M. 1

(d) II. 72.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Raphaël I.* Granowski, Prætenſus Dux Exerc. Supr. & Mareſchallus Regni. | *Vincentius* *Raphaël II.* *Demetrius.* | N. Granowski Soror Lubranſcio nupta. | Ejus Filius Andreas Lubranſcius Epiſcopus, qui Raphaëli I. Granovio coætaneus dicitur. |

Hinc colligitur *Granowſciam*, *Lubranſcio* nuptam Andreæ

Epiſcopi matrem dici non poſſe, adeoque Commentatorem ex *Okolſcio* id exſcribere volentem peſſimè hallucinatum fuiſſe, & duas integras generationes levi ſaltu tranſiliiſſe.

Antequam *Lubranſcio* libellum repudii, ad ſequentia perrecturus tribuam, dicendum adhuc venit, quod is dicatur in tranſumptâ à *Kołudzcio* & impreſsâ hiſtoriæ Glinianenſis copia *ſecreto devitâſſe Collegas ſuos dum id facerent* (*Wyſtrzegaiąc ſię Kollegow ſwoich*) in aliis verò MSS. Exemplaribus *aperte exhortaſſe Collegas ſuos ne id facerent*, (*Przeſtrzegaiąc Kollegow Swoich aby tego nie czynili*) quæ quam ſint analoga contradictoria & repugnantia, quivis facile percipiet, adeoque concludet, ſecundum vulgò receptum aphoriſmum, prout in *Jure variantem*, ita & in Hiſtoriâ ſibi diſcrepantem, *non eſſe audiendum.*

„*Accepto de rebus in Comitiis Budenſibus geſtis Nuntio à* „*dicto Lubranſcio Epiſcopo ex Hungaria transmiſſo, Raphaëlem Gra*„*nowſcium Regni Mareſchallum, illico ſumptis literis ſe contuliſſe* „*ad Fratrem ſuum Vincentium Præfectum Generalem Majoris Po*„*loniæ*, „ à Commentatore dicitur. *Vincentius* autem nec *Raphaëlis* Frater, nec prò tunc Majoris Poloniæ Præfectus eſſe potuit, id quod nunc utrumque probandum venit.

Quamvis ſufficienter ſuperius jam deductum ſit, *Raphaëlem Granovium* Mareſchallum Ducemque Exercituum Regni Supremum, ac Capitaneum Sendomirienſem nunquam in rerum naturâ extitiſſe, dato tamen non conceſſo, quod unquam

quam extiterit (uti habet Genealogia Sieniaviorum, ex eâ *Okolſcius* (e) qui eam ibi citat, ex *Okolſcio* verò, uti apparet, (e) II. p. 72. noſter Commentator) ex ipſo tamen ſchemate Genealogico, quod *Okolſcius* ex illa Genealogia Sieniawſciana exſcripſit. luculenter patet, *Vincentium* Generalem Majoris Poloniæ, Raphaëlis Mareſchalli Regni non Fratrem ſed ſaltem Nepotem aut certe Pro-Nepotem fuiſſe. En habes Schematiſmum.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Raphaël* Granowski, Dux Exerc. & Mareſch. R. A. 1381. | N.N. *Granowski.* | *Vincentius* Gen. Maj. Pol. Uxor ejus Tarnowska. *Raphaël.* *Demetrius.* | *Vincentius* Caſt. Naklenſis. Ux. ejus Pilecka. circa 1414. |

Dixi *Vincentium*, *Raphaëlis* Nepotem vel certè Pronepotem dici debere, licet enim *Okolski* duos hic ſiſtat *Vincentios* alterum Generalem Maj. Pol. alterum Caſtellanum Naklenſem, unum eundemqne tamen fuiſſe, qui ex Caſtellano Naklenſi Generalis Majoris Poloniæ factus fuerit, certò certius conſtat ex iis, quæ de eo habentur apud *Dlugoſſum*, (f) *Cromerum* (g) *Bielſki* (h) & *Paprocki.* (i)

(f) X. 185.
(g) p. 263. a.
(h) p. 289.
(i) Gniazdo 501

Sed quo tandem tempore is *Vincentius* Generalis Maj. Pol. factus fuerit, jam ſuperius diximus nempe Anno 1405. adeoque 27. ab obitu Regis Ludovici annis. Hic verò Fontem erroris detegamus. *Paprocki* (k) in utroque Genealogico opere, ait eum fuiſſe Generalem A. 1340. idem habet & *Okolſki* (l) citatque *Bielſcium* (m) at *Bielſcius* expreſsè ſcribit *Vincentium* A. 1409. Thomæ *Wagleſzynio* in Generalatu ſuffectum fuiſſe, & rectè, nam idem teſtantur *Dlugoſſus* (n) &

(k) Gniazdo 501. Herb. 382.
(l) II. 72.
(m) p. 289.
(n) l. c.

(o) l. c.

*Cromerus.* (o) Hinc conſtat *Paproccium* in anno numericè exarato errâſſe, ex ipſo hunc errorem *Okolſcium* hauſiſſe, eumque ſucceſſivè noſtro (ſi Diis placet) Comentatori commendâſſe, qui tamen omnibus palmam erroris præbuiſſe videtur. *Paprocki* enim & *Okolski* numericè annum exararunt, adeoque facilè numerum pro numero (ut fieri ſolet) ponere potuerunt, ac proinde rectiùs veniam merentur. Commentator verò deliberate eum, hoc regiminis Ludovici tempore, Generalem Maj. Poloniæ aſſerit. Hoc verò pacto Vincentius 69. & quod excurrit annos (nempe ab A. 1340. ad 1409. & ultra) Generalatum tenuiſſe dici deberet, quod quam abſonum ſit quivis fatebitur, qui plures alios hanc Majoris Pol. Præfecturam habuiſſe in his annis apud Hiſtoricos deprehenderit, nempe Anno

1340. *Staniſlaum* Pocillatorem Cracovienſem in diplomate Caſimiri M. erectionis Civ. Bidgoſtienſis.

1396. Petrum *Bninium* apud *Paprocki* (p) (nam *Okolſcius* (q) erronee ponit A. 1374.

1370. Prædislaum *Goluchovium* Palat. Caliſſ. apud *Anon.* (r) Archid. Gneſn. *Dlugoſſum*, (m) *Cromer* (n) & *Bielski* (o)

1371. Ottonem de *Pilca*, de quo *Dlugoſſus* (p) & *Bielski*. (q)

1376. Sandivogium de *Subino* de quo *Dlugoſſus* (r) *Cromerus* (s) & *Bielski*. (t)

1377. Domaratum de *Pierzchna* Caſtell. Poſn. de quo *Dlugoſſus*, (u) *Cromerus* (w) & *Bielski*. (x)

(p) Gniazdo 1023.
(q) II. 158.
(r) Sommersb Corp. II. 103.
(m) Dlugoſſ. II. 14.
(n) p. 224.
(o) p. 244.
(p) II. 14.
(q) p. 244.
(r) II. 14.
(s) p. 224.
(t) p. 244.
(u) IX. 35.
(w) p. 228.
(x) p. 249.

1383.

1383. Peregrinum (*) *Węgleczynski* de quo *Dlugoſſus*. (y) (y) II. 85.
1408. Thomas *Węgleſzynski* Caſtell. Sendomirienſis qui obiit 1409. Cui
1409. Vincentius *Granowski* ſucceſſit, ut habet *Dlugoſſus* (z) (z) X. 185
*Cromerus* (a) & *Bielski*. (b) Quo circa notandum *Paproccium* (a) p. 263 a (b) p. 289.
(c) iterum errare, dum dicit hunc Thomam A. 1472. Generalem Majoris Poloniæ, & ita Succeſſorem immediatum in hoc Generalatu, ſuo Prædeceſſori, id eſt Vincentium *Granowium* Thomæ *Węgleſzynſcio* 132. añis præponit & anticipat. (c) Herb. 280

Et ita patet, dato non conceſſo, quod *Paprocki* & *Okolſki*, quos ſequitur Commentator, non errent dum dicunt, Vincentium *Granovium* A. 1340. Generalem Majoris Poloniæ fuiſſe, errat tamen impudenter & impudenter noſter Commentator, qui illum anno regiminis Ludovici penultimo Generalem Majoris Poloniæ fuiſſe contendit, nam ut id faciat, ſex alios Præfectos Maj. Pol. de quibus apud Hiſtoricos liquido conſtat, ſimul ſemelque tranſiliit.

Occaſione hujus Granowſciorum Familiæ, adhuc alium *Paproccii* (d) in utroque opere & *Okolſciie* errorem detego, dum dicit Nicolaum de *Spławie Granowſki* A. 1480. poſt obitum Andreæ de *Bnin* (*Opalinski*) Epiſcopum Poſnanienſem deſignatum fuiſſe, ſed poſſeſſione non captâ deceſſiſſe, eique Urielem de *Gorka* ſuffectum fuiſſe (quos ſecutus eſt *Frydri*-

(d) Gniazdo 501. Id. Herb. p. 383.
(e) II. 78.

P 3 *cho*-

(*) R. P. Nieſiecki Kor. 283 his Wąglesſzyniis tribuit ſtemma Jelita, verum ex Paproccio Gniazdo 507. & Herby 280. & Okolſcio I. 214. conſtat, eos fuiſſe armorum Godziemba.

*chowiez* (f) vocatque eum à ſtemmate Nicolaum *Lelivium* (Poſuerat *Paprocki* in primo opere annum hujus promotionis 1475. ſed dum forte animadverteret Andream de *Bnin* eo anno adhuc vixiſſe, in ſecundo opere, corrigere volens errorem, poſuit A. 1480. (*A*nno emortuali *A*ndreæ de *Bnin* proximum) at nec id dici poteſt. Conſtat enim ex *Dlugoſſo* (g) in Vitis Epiſc. Poſnanienſium, *Andream* deceſſiſſe A. 1479. 5. Januarii die Martis in Vigiliâ Epiphaniæ (quod ſingulare nam ipſo die Epiphaniæ Epiſcopus eligebatur) *Urielem* verò die S. Benedicti 21. Martii (non Aprilis uti ibi pag. N. 7. erroneè legitur, recte verò p. O. 1.) ejusdem anni in immediato Electionis Capitulo, à Canonicis Posnanienſibus electum fuiſſe, ac proinde inter illos, ſpatio 74. dierum tantum interveniente, Nicolaus *Granowſcius* nullo modo interceſſiſſe potuit, & ſi tunc vel prius Epiſcopus deſignatus fuiſſet, certe illud *Dlugoſſus* qui has Epiſcoporum Poſnanienſium vitas eodem anno, mortem ſuam immediate præcedente (obiit enim A. 1480. 20 *M*aji) ſcribebat, annotare non prætermiſiſſet. Sed de *Granoviis* jam ſatis, dicendum nunc de *Czyzowſcio* & *Sulkowio* venit.

(g) Poſn. N. 6 & O. 1.

„*Hos ex Senatorii Ordinis Conventu, Lanciciæ celebrato, in* „*Hungariam adinvitandum, pro conſultatione communi, die S. Bartholomæi Glinianis inchoanda, Ludovicum miſſos fuiſſe ait* Commentator. *A*t neſcio quo id nobis pacto perſvadere valeat, cum in his paucis verbis, quatuor ſecum pugnantes appareant contradictiones.

Primò

Primò enim dicit, Senatus-Comitium celebratum fuiſſe *Lanciciæ*, licet nullum vel minimum apud Hiſtoricos extet veſtigium, *Lanciciæ* vel tum vel unquam alias, celebratum fuiſſe aliquem Reipublicæ conventum.

Deinde Commêntator dicit *illos præmemoratos Senatores* cætero Senatui diem Convocationis hujus *Lancicienſis* dixiſſe, cum tamen nullius alterius Senatoris mentionem ſuperius fecerit, præter Archiepiſcopi Gnesnenſis, *Raphäelis Granowii* Supremi Regni Mareſchalli, & *Vincentii* ejus Fratris Majoris Poloniæ Præfecti. Quodſi Archiep. Gneſn. Senatus Purpuratorum Pater & Anteſignanus ſit & dicatur, ſupremus verò Mareſchallus in Officialium ac Miniſtrorum Ordine cenſeatur, Majoris autem Poloniæ Præfectus, more aliorum Capitaneorum non ad Senatum ſed ad Equeſtrem Ordinem ſpectare debeat, niſi Palatinatu vel Caſtellanatu aliquo fuerit præditus (Vincentius vero prout ſuperius eſt dictum, licet defacto cum hac Præfecturâ tenuerit Caſtellanatum Naklenſem, hic tamen Caſtellanus non dicatur, imò *Okolski*, quem ſequi Commentatorem indubium, duos diſtinctos *Vincentios*, alterum Majoris Poloniæ Præfectum, alterum Caſtellanum Naklenſem fingit,) Qui igitur & quales Senatores in unum coadunati cæteroSenatui ad ConventumLancicenſem diem dixere?

Dum verò Commentator Archiepiſcopi Gneſ. mentionem facit, & nomen ejus non exprimit, hoc pacto innuere videtur, tum adhuc in vivis extitiſſe *Jaroslaum Sklonicki*) quem ſuperius à ſtemmäte ejus; *Bogorya* vocarat) cum tamen is Anno adhuc 1376. in vivis eſſe deſiiſſet, eique ſuus Coadju-

adjutor Joannes *Suchywilk* (*) ſtemmatis *Grzymała* ſucceſſiſſet.

Denique illis Generalibus Comitiis *Glinianiis* celebrandis Feſtum S. *Bartholomæi* pro termino aſſignat, bardus noſter nugator, forte eorum oblitus, quæ ſupra dixerat de Comitiis *Budenſibus* (ex quibus hunc Conventum *Lancicienſem* illaque Comitia *Glinianenſia* pullulaſſe innuit) die *Aſſumptioni* B. V. M. dicatâ habitis. Hoc enim pacto inter breve 8. dierum intervallum, nempe à 15. Auguſti (Aſſumptionis) ad 24. ejusdem menſis (Bartholomæi feſtum) coarctare & coanguſtare videtur perridiculo calculo plurium dierum imò menſium negotia, videlicet durationem Comitiorum *Budenſium*; *Lubranſciani* Nuncii ex Hungariâ in Poloniam miſſionem; Raphaelis *Granovii* ad fratrem *Vincentium* migrationem; utriusque ad Archiepiſcopum Gneſn. peragrationem; ad Senatores Regni abſentes futuræ Convocationis intimationem; Senatorum *Lenciciam* itionem; *Lencicienſis* Convocationis perdurationem; Nunciorum *Ludovicum* invitaturorum in *Hungariam* ablegationem; ac tandem *Ludovici* ex *Hungaria*, *Glinianios* peragrationem. Quod verò nonne abſumeretur, tantis negotiis tempus? aliis *truderetur dies die, novæque pergerent interire lunæ*

(*) Ejus nomen Frydrychowicz (h) male contorquet, & duos diverſos alterum Grimalium, alterum Suchywilkium ridicule ex eodem individuo comminiſcitur. Dlugoſſus (i) verò refert eum à quibusdam dicitum fuiſſe Filium Præclai Goluchowski ſtemmatis Wieniawa: Id falſum eſt, conſtat enim ex ſcriptore coætaneo Anon: (k) Archid Gneſ. (qui ejus vitam fuſe enarrat) eum fuiſſe Grimalium, & ità habet Damalewicz (l) tum & ipſe Dlugoſſ. (m) paulo Superius.

(h) Hyac. 118.
(i) X. 17.
(k) Int. So m. ſcri: Sileſ. II: 134
(l) Damal: Gneſn: 192.
(m) Dlu. X. 16

*næ*, *vixque unus ſufficeret annus*; Commentatori verò, una ſeptimana abunde ſufficit. Nec enim in ejus defenſionem dici poteſt, non eodem, ſed proximo à Comitiis *Budenſibus* anno, ea omnia geſta, & *Glinianenſia* Comitià indicta fuiſſe. Dicit enim *Raphäelem*, de rebus Reipublicæ *Budæ* geſtis certiorem factum, *non diu cunctatum* cum epiſtola & fratre *Vincentio*, ad Archiepiſcopum *advolaſſe*. Hosque Senatores cætero Senatui diem Convocationis *Lancicienſis*, *incunctanter* dixiſſe. Quæ Phraſes Polonicæ, locutioni *niemieſzkaiąc* bis repetitæ, reſpondentes; *celeritatem* & *feſtinationem* innuere, longamque unius anni intercapedinem, omninò excludere videntur, cùm de cætero Comitia *Budenſia* A. 1381. celebrata fuiſſe ex *Dlugoſſo* (n) conſtet; Comitia verò *Glinianenſia*, annum *Ludovici* emortualem (1382.) immediatè præceſſiſſe à Commentatore dicantur. Quod ſi igitur ratio temporis ineatur, & à 25. Auguſti anni 1381. (Comitiorum *Budenſium* uti Commentator aſſerit termino) ad 14. Septembris anni 1382. ſupputetur, nonniſi unius tantum anni & quod excurrit ſpatium emerget, ac proinde Comitia *Budenſia*, tum & *Glinianenſia*, eodem anno, & per conſequens, unius Septimanæ ſpatio, celebrata fuiſſe, Commentatorem ſpontè fateri, ſuaque hoc modo mendaciorum jugera palam facere, neceſſe eſt.

(r) X. 48.

Deinde Commentator licet ſuperius dixerit, illum Conventum *Lancicienſem*, ex ſolo Senatorio Ordine fuiſſe coàctum, Legatos tamen ab illo Conventu miſſos, ex Equeſtri Ordine



aſſum-

aſſumptos recenſet, nempe *Czyzowſcium* Dapiferum Craco-vienſem & *Sulkovium* Regni Enſiferum, ut nihil dicam de hac incomptâ & ridicula Officialis Terreſtris, qualis eſt *Dapifer Cracovienſis*, uni ex Primoribus Regni Dignitariis, qualis eſt *Enſifer Regni* antepoſitione.

Sed an unquam extiterit *Czyzowſki* Dapifer Cracovien-ſis & *Sulkowſki* Enſifer Regni, jam videamus. Et quod pri-mum nomen attinet, illud in pluribus MSS. hujus Transacti-onis Glinianenſis Exemplaribus, quorum plurima contuli & confrontavi, diverſimodè exaratum animadverti, nempe *Ciſzewski*, *Czykowski*, *Cychonski*; cum tamen in *Kołudciano* & *Chwalkowiano* impreſſis exemplaribus, *Czyzowski* legatur, ex his variantibus lectionibus, iſtam retinere malim.

De *Czyzowſciis* ſtemmatis *Putkozic*, egerunt *Paprocki* (o) & *Okolski* (p) recenſentque *Joannem* Caſtellanum ac dein-de Palatinum Sendomirienſem, Caſtell. poſtea Cracovienſem A. 1457. mortuum (prætermiſſo alio *Czyzowio* Michaele, iti-dem Sendomirienſi Caſtellano ad annum 1429.) *Cracovienſem* verò *Dapiferum* nullum commemorant. Cum verò apud *Paprocki* per extenſum legatur, *Vladislai* Jagellonis Poloniæ & Hungariæ Regis Privilegium, de data 1440. Sabbatho poſt Conductum Paſchæ, quo prædictus Joannes *Czyzowski* nomi-ne Regis conſtituebatur Palatinatuum *Cracovienſis*, *Sendomiri-enſis* & *Ruſſiæ* Tutor, Rector & Gubernator, per tempus quo Regi in Hungariâ manere contingeret (id quod confirmat *Callimachus*) (q) facile crediderim noſtrum Commentatorem, ex

(o) Herb. 186.
(p) II. 478.
(q) L. 1. f. 3.

ex Locumtenente, tempore commorationis Hungaricæ Regio; Legatum ad Regem in *Hungariam*, & ex Caſtellano *Cracovienſi* Dapiferum *Cracovienſem*, more ſibi refecto, confixiſſe.

Idem dicendum venit de *Sulkovio* Enſifero Regni, licet enim *Paprocki* (r) & *Okolski* (s) hanc Familiam recenſeant, hujus tamen Enſiferi non meminerunt, & ſi *Okolski* Sub-Dapiferum Junivladislavienſem commemorat, à fortiori Enſiferum Regni, cujus Dignitates eſt inter primas Ordinis Equeſtris, recenſere non prætermiſiſſet, ſi defactò *Sulkovius* Enſifer Regni unquam extitiſſet.

(r) Herb. 442

(s) II. 178.

Deinde iſtud *Enſiferi Regni* Officium nonniſi poſt Regimen Ludovici creatum fuiſſe, vel exinde autumaverim, quod nullius alterius Enſiferi Regni circa illa tempora factam ullo apud Hiſtoricos & Genealogicos Scriptores loco, mentionem reperiam, tum quod inter officia Dignitariorum Regni extra Senatum (quæ ab Ordine temporis, quo inſtituta ſunt, præcedentiam & *turnum* ſuum obtinere crediderim) obtineant primatum, *Secretariatus Majoris* & *Referendariatus* Regni munia, quorum attamen inſtitutionem, nonniſi Alexandro Regi A. 1504. & Sigiſmundo I. A. 1507. deberi, ex *Laſcii* (t) *Sigismundi I.* (u) *Herburti* (w) Statutis, ac *Cromero* (x) & *Neugebauero* (y) colligere licet.

(t) Stat. p. 313

(u) I Stat. p. 8.

(w) Stat. Lat. 127. & 396

(x) p. 551.

(y) 26. & 27

Hanc *Czyzowii* & *Sulkowii* Legationem *ſummopere fuiſſe* " *acceptam Ludovico, Conſenſum Budenſem, circa ſui præſentiam, uni-* " *verſum approbaturum eſſe Senatum, facile ſibi perſvadenti* " narrat Commentator. At numne probabile ſit dicere *Ludovicum*,

 à nemi-

à nemine, de iis, quæ contra ipſum in Poloniâ moliebantur, certiorem fieri potuiſſe, cuivis emunctæ naris Politico, judicandum relinquo.

„ Pergit Commentator & ait *Granovium per quosdam „ ſuos adjutores* (ſeu ut in aliis exemplaribus MSS. legitur „ *cubicularios*) *præfatis Legatis adjunctos, exploratum habuiſſe, „ quando & quâ ratione, Rex Budâ in Poloniam perrecturus, & in „ quibus diverſoriis pernoctaturus eſſet*, quaſi vero ea omnia, ipſi Legati per ſe præſtare non potuiſſent, & denique hæc pernoctationum diverſoriorumq; ad amuſſim perſcripta ſpecificatio aliquam præ ſe ferre videretur neceſſitatem vel ſaltem utilitatem.

„ Proſequitur ulterius Commentator & dicit *Ludovi-„ cum ad confinia Poloniæ, cum ſat compto & numeroſo appropin-„ quâſſe Comitatu* (quem quædam MSS. exemplaria ex numero 1000, alia verò 500, armatorum conſtituunt.) Et ita hujus fabellæ fautores & transſcriptores ex *feroci feracique calamo calamitatem* ſpirante, levi operâ, cataphractorum militum millia, leviusculo excutiunt motu. Sed quorſum iſta ſtipantium caterva? *Pacificus* erat Ludovici *ingreſſus, in propria veniebat, & ſui eum recepturi erant* (imminentem enim Nobilitatis commotionem, fatente vel ipſo Commentatore penitus ignorabat) nil igitur præſidiariis copiis opus habebat.

„ Quâ verò fronte dicere audet Commentator, *Gra-„ novium obviam Regi iturum, litteras encyclicas ad univerſos diſtri-„ ctus, convocandæ pro die S. Bartholomæi Nobilitatis causâ publicâſſe,*

nam

nam ut nihil ampliùs de termino *S. Bartholomæi* ſupramemorato in medium proferamus, Primatialis non verò Mareſchalcalis Officii (quod tum circa ſua primordiâ tanta ut nunc haud pollebat authoritate,) id Nobilitatem convocandi munus eſſe dignoſcitur.

*Conſiſtenti in Confiniis Regni Ludovico, prodiiſſe obviam cum " mille Equitibus tres Senatores, Ipſum nomine Ordinum Regni ſalu- " taturos* " Commentator garrit, ſed ſi jam Mareſchallus *Granowius* præceſſerat, & hanc ſalutionem nominê ordinum Regni præſtare poterat, quæ tandem exigentia hos Senatores in eandem propulſabat viam?

Quorſum verò iterum numeroſa mille famulantium cohors? Si id ii tres Senatores fecerê cohoneſtandæ Legationis gratiâ, plus æquo, ſi verò debellandi Regis intuitu, minus quam par erat equitum ſecum duxere (ut hic uſurpari queat ſimile *Joannis III.* p. m. Regis ad quendam ex Lithvaniæ Proceribus dictum). Deinde cur illorum Senatorum nomina non leguntur expreſſa, quod tamen adeo ſplendidus, ac in ſuperbiam noſtræ, admirationemque vicinarum gentium vergens comitatus, omnino expetere videbatur.

Majori adhuc conatu Commentator *Glinianiis* Nobilitatem Polonam aggregat, coacervat, conglomerat & accumulat, dumque illam ad quinquageſimum perducit millenarium, *ex lapidibus ſuſcitare Filios Abrahæ*, ſeu ut ad ethymon *Gliniany* (quod *limoſum* & *fictile* ſignificat) alludam, *ex limo terræ* Polonæ (à planitie Camporum ita dictæ) novos formare homines videtur ridiculus iſte *Prometheus.*

 Nuſquam

Nuſquam in numeroſiore copiâ, in aliquo ſe ſiſtere loco moris habet Nobilitas Polona, quam in campo Electorali, pro actu noviRegis eligendi, attamen in Electione Auguſti II. p.m. hæc *manus Congregatorum* Electoriſque Populi compago, vix ac ne vix quidem, ad trigeſimumſextum progreſſa dicebatur millenarium, (taliſque calculus facilè iniri poteſt, *ex ſuffragiis Palatinatum ac Terrarum*, Electioni noviRegis ſuffraganti-bus, quæ ab Electione Regis Sigismundi III typis mandare, Voluminibusque Legum inferre uſus obtinuit) cum tamen ex 34. Palatinatibus & vel à remotioribus oris, undique confluens cerneretur Nobilitas. Quàm impudenter igitur nobis 50. millia congregatorum Nobilium ſuggerit Commentator, cùm illo tempore tota Reſp. Polona ſex tantum conſtiterit Palatinatibus, id quod colligitur ex iis Confæderationis Radomſcenſis (Feria 3tia poſt Feſtum S. Catharinæ anni inſequentis 1382. poſt obitum Ludovici,) verbis. *Nos Vincentius Poſnanienſis, Sendivogius Calliſſienſis Palatini, cæteris omnibus, Strenuis & Nobilibus, ac omni Communitati Terræ Cracovienſis, Sendomirienſis, Siradienſis Lencicienſis &c. &c.* (z).

(z) In nova Edit. Vol. leg. p. 59.

Hic autem portentoſus maleſani Commentatoris partus, *Palladis more, Jovis à beato vertice natæ*, ex ejus Antycyreâ elleboro digno enititur emitit urque cerebello, absque ulla neceſſitate prægnante. Nam *Rokoſzad* ille, dato non conceſſo quod fuerit, à pauciſſimis tamen formari firmarique potuit perſonis, qualiter & famoſus ille *Rokoſz Gołembie*, ſub Rege Michaële, A. 1673, à quinque tantum Nobilibus inchotus fuiſſe dicitur.

Sed

Sed dum hanc popularem vocem *Rokoſz* in medium profero, conſentaneum rationi duco, illud latinis verbis reddere, & pro modulo definire. Abunde id jam præſtitere *Lubinius* & Paulus *Piaſecius*, genuina illorum hic uſurpo verba. Et primò quidem *Lubinius* (a) ita eum deſcribit. *Statuerunt, ut niſi Rex ei pareret, ſubditi fide quâ Regi obſtricti ſunt ſolverentur, atque generalis quidam & univerſalis conventus, Rocos petito ab Hungaris nomine appellatus, ad diem ſextam Auguſti indiceretur, gravi & minaci promulgato edicto, ut omnes quicunque Nobilitatis prærogativâ gauderent, praſtò adeſſent, militem præterea* Palatinus, *Radivilus*, *Gorayſcius*, Stadnicius, *Reipublicæ præſidio futurum ſcriberent: demum ea auctoritas poteſtasque erat futuro* Conventui, *ut eo durante omnis cunctorum ordinariorum Magiſtratuum Jurisdictio ceſſaret, juſtitium publicum eſſet, fora clauderentur, ſumma Reipublicæ in manu & arbitrio armatæ multitudinis Equeſtris ordinis conſiſteret. Rex &* Senatus, *ac univerſi Magiſtratus geſtæ Reipublicæ conſiliorum & functionum ſuarum rationem in publico illo conſilio reddere tenerentur, laudem inde relaturi vel pænam: qui eò non veniret, bonis confiſcatis, jure & prærogativâ Nobilitatis excideret.*

(a) Lubinski Opera l, 2 p. 68.

Idemque in *Monitis de recte gerendo Epiſcopatu* (b) ita: *Placet quibusdam armatum conſilium, quale olim Hungaris tumultuantibus ſimul & pereuntibus in uſu fuit. Rokos, Hungaricum nomen eſt; quis autem ignorat gentem illam ad ſeditionem natam, eâ ipſâ ſupremum exitum ſibi acceleraviſſe?*

(b) Idem p. 293

Et poſt pauca *Sigismundo primo imperante ſubita illa Caſtrenſis*

*ſtrenſis ad* Leopolim *Equeſtris ordinis concitatio, ſimul & cæpta & ſedata, neſcio cur hoc fatale Rokoſſi nomen ſortita eſt.*

(c) Idem p. 423. Tum, in Vitâ Pſtrokonii (c) *Mox innotuit, cùm Palatinus* Cracovienſis *cum Hæreticis conſilia communicare cæpiſſet, atq; eorum potiſſimum fretus potentiâ, primò ad Stęzicam, mox* Lublini *Conventum egiſſet, generalemque totius Nobilitatis Conventum, quem Rokos, petito ab Hungaris gente ad ſeditionem natâ nomine, appellare placuit, ad* Sendomiriam *privatus homo privatâ authoritate indixiſſet.*

(d) Piaſecki p. 234. *Piaſecius* verò in ſuò Chronico (d) ita *Genuinum etymon nominis Rokos, vix dari poteſt, ſed ſonat terminum ſtato tempore controvertendi, & eſt Symbolum in iſtâ gente uſitatum, quo univerſi Nobiles genere, ad conſurgendum contra Regem & Senatum pro vindicandis libertatibus ſuis convocantur. Formidoloſum quondam Regibus, nam eo Nobiles etiam familiares Regis & Procerum, heros ſuos tunc deſerere, & in commune opem ſuam conferre obligabantur. Uſus tamen ejus nunquam alius fuit, niſi, cùm occaſione alicujus Conventus publici, ſeu expeditionis bellicæ, ad Regem omnes Nobiles congregarentur. Cujus ultimum exemplum præceſſerat Sigismundi I. Regis tempore in A. 1537. cum coacta totius Equeſtris Ordinis manus Moldaviam petens, Caſtra ultra* Leopolim *prope Oppidum Gliniany poſuiſſet; tunc enim acclamatâ hac teſſerâ Rokos, Nobiles omnes Rege & Proceribus relictis invicem conjuncti, ſeveriorem rationem adminiſtratæ Reipublicæ ab ipſis requirebant, ac Senatores quosdam malorum conſiliorum authores, ſeu tali ſuſpicione notatos tumultu populari pene oppreſſerant.*

His

His autem *Piaſecii* verbis & vocem *Rokos* exteris obſcuram, & prætenſæ de Ordinis Equeſtris ſub Rege Ludovico ad Oppidum *Gliniany* concitatione fabellæ, ſcaturiginem me plane & palpabiliter detexiſſe arbitror.

Seditio illa A. 1537. contigit in Caſtris ultra Leopolim, quò univerſa Nobilitas pro Moldaviticâ expeditione confluxerat (quæ idcirco *Belli Gallinacei Woyna Kokoſza* per ludibrium ſortita ſcomma, irrito evanuerat conatu) velut teſtantur *Bielski* (e) in Chronico Mundi, tum in Chronico Poloniæ, (f) *Strykowski*, (g) *Gornicki*, (h) *Kojatowicz*, (i) *Neugebauer* (k) & *Paſtorius* (l) in Flore Polonico. *Piaſecki* verò, (cui major præ cæteris fides adhibenda eſt, quòd illo tempore propior viciniorque vixiſſet, nempe 52. abhinc annis, Anno videlicet 1589. natus, prout id colligitur ex ejus Epitaphio quod reperitur in *Starovolſcii* Monumentis Sarmatarum) (m) loco citato habet expreſſe illam ſeditionis popularis teſſeram *Rokoſz* fuiſſe conclamatam prope Oppidum *Gliniany* (quod 5. milliaribus Leopoli diſtat teſte *Sarnicio* in Deſcriptione Poloniæ.) (n) Si igitur *Rokoſz* contra *Sigismundum III.* conclamata, ad Oppidum *Gliniany* coacta eſt, quomodo ſimilis per omnia *Rokoſz* contra Regem *Ludovicum* concitata, eodem prorſus loco *Glinianiis* habita dici poteſt? Itane exactis 146. annis, videlicet ab Anno 1381. ad 1537. ſeditione primâ *Glinianenſi*, hæc altera itidem *Glinianiis* eodem omnino loco contingere debebat? Reperiri ovum ovo ſimilius, quam ſunt hæ duæ *Glinianenſes* ſeditiones (*mali corvi mala ova*) vix eſſe

(e) Chron. Swiata 423.
(f) Idem Chro. Pol. 577.
(g) p. 758.
(h) p. 4.
(i) II. 400.
(k) p. 541.
(l) Flor. Pol. 204.
(m) Starov. MS. 685.
(n) Tomo II. Edit. Dlugoſſ. p. 1899.

R poſ-

poſſibile quis inficias ibit? Proinde prioris ſeditionis narratiunculam vel exinde fabuloſam, confictam & adinventam cenſeo, quod ipſi locus ad *Gliniany* adſtruatur, qui defacto ſeditionis Anni 1573. locus teſte *Piaſecio*, fuit.

Dilapſo poſt hanc A. 1537. ſeditionem Exercitu, irritâque redditâ Moldavitica expeditione, ad propulſandum hoſtem relicta duo millia, Imperio Nicolai *Sieniawii* Caſtellani Belzenſis, ut & Andreæ *Tencinii* Caſtellani Polanecenſis ſubjecta fuiſſe, apud prædictos Scriptores locis citatis legitur. Quidni igitur ſuſpicari mihi liceat Commentatorem ex *Glinianenſi*, contra *Sigismundum III.* ſuam contra *Ludovicum* itidem *Glinianenſem* ſeditionem, & ex *Sieniawio* Campiductore, *Granowſcium* (ex quâ ſtirpe veniunt *Sieniawii*) itidem Campiductorem Regni efformâſſe.

At quam inſulſe candidus quivis Lector mecum perpendat velim. Præſuppoſitâ enim hujus Hiſtoriæ realitate, *Ludovicus* vel mentis impos vel cordis inops cenſendus eſſet. Vel enim in Hungariâ vel jam in itinere de intimato ſeditionis Nobilitaris claſſico, certior factus omninò (niſi obtuſæ mentis præſupponatur) dicendus eſt. Si in Hungariâ? vel ſe loco haud movere, vel ſi in Poloniam perrecturus erat, validum ſecum Exercitum conducere debuiſſet. Si verò in itinere id reſciviſſe dicatur? Illico gradum ſiſtere, Hungariamque repetere, & *ibi arma in armatos ſumere* peropportunum judicaſſet. Neutrum verò, quod vel mente, vel corde caruerit, de eo dici jure meritò poteſt. Fidem enim faciunt

omnes

omnes Hiſtorici Hungarici pariter ac Noſtrates, fuiſſe eum ingenio pollentem, animaque præſtantem, id quod ejus res geſtæ, factaque eximia ac data circa bellicas contra *Germanos, Crucigerosque* expeditiones intrepiditatis ſpecimina abundè teſtantur.

Haud minor veritatem hujus narratiunculæ, ſuſpicandi mihi obrepit ratio, dum apud Commentatorem lego, *tertiâ die adventus Regii Gologorum, Senatum Nobilitatemque Legatos* " *ad Ludovicum Regem miſiſſe, cum expoſtulatione, ut Senatoribus* " *Polonis Collegis ſuis, qui Comitiis Budenſibus adfuerant, facultas* " *daretur in medio ſui comparendi, ſtatimque illos,* (præſuppoſito " prompto libentiq; Ludovici aſſenſu) *in Comitium Senatorum* " *veniſſe.*" Quis enim aſſeruerit? Ludovicum, qui ſuperius *ſecuros hos Senatores reddidiſſe, & extra omne periculum à cæteris Fratribus imminens fore, verbo Regio ſpopondiſſe dicitur,* tam facilè, quaſi *metam ad ſagittam,* hos ipſos Senatores expoſuiſſe, ac in victimam prædamque furentiûm extradidiſſe.

*Intromiſſis in Comitium his Senatoribus, Granovium Regni* " *Mareſchallum Litteras Budâ ad ſe per Epiſcopum Lubranſcium* " *tranſcriptas produxiſſe, illasque palam legendas Cancellario Regni* " *Drzewiccio tradidiſſe* " pergit dicere Commentator, ſimulque (ut uſitatâ paræmiâ ad nominis hujus à *Ligno* deſumpti, alludam etymon) *quò intimius progreditur in penetralia ſylvæ, eo plura accumulat* mendaciorum ſtipite craſſiorum *ligna.* Nam Matthias *Drzewiccius* Epiſcopus *Præmiſlienſis* & ſucceſsivè

*Vladiſlavienſis* ac denique Archiepiſcopus Gneſnenſis nonniſi A. 1499. (117. ab obitu Ludovici Annis) poſt aſcenſum *Vincentii* (non *Venceſlai* uti erroneè ex *Paprocio* (o) habet R. P. *Nieſiecki*) (p) *Przerembſcii* ad Epiſcopatum *Plocenſem* (ex quo deinde ad *Vladislavienſem* promotus eſt) eidem in Vice-Cancellariatu A. verò 1510. poſt aſcenſum Joannis *Łaski* ad Archiep. Gneſn. ipſi in Supremo Regni Cancellariatu ſuffectus eſt, (teſte Jodoco Ludovico *Decio* (q) ac *Damalevicio* (r) in utroque opere) & ab ejus obitu, in Chriſtophoro *Szydłowieccio* Caſtellano Cracovienſi Lex *de alternata Cancellariatus Regni inter Spiritualem & Sæcularem Statum* lata, effectum ſuum ſortita eſt, cum antea ſolis Spiritualibus (Nicolao *Zaklika* Priori, nam & alter ejusdem nominis fuit, duobus *Koniecpoliis* utroque Joanne & Jacobo *Dębinski* exceptis) hoc Officium conferri moris eſſet. Hunc *Drzewiccium* in Epiſcopatu Premislienſi ſucceſſiſſe Vincentio *Przerembio* (de quo ſupra) ait *Cromer* (s) ex eoque *Bielski* (t) ac *Nakielski*, (u) ſed omnes egregie falluntur, recta enim *Przerembius* ad Plocenſem Epiſcopatum pervenit, & nunquam *Præmiſlienſis* fuit, id quod oppido liquet, ex ſupputatione annorum, ex teſtimonio *Lubinii*, (w) tum & ex ejus Epitaphio, obvio apud *Starovolſcium*, (x) *Damalewicium* (y) & *Paprocium* (z) qui ultimus annum ejus obitus 1515. pro 1513. erroneè poſuit.) Sed ad Commentatorem redeo.

(o) Herb. 237.
(p) Kor. 262.
(q) In Corp. Piſt. II. 324.
(r) in Gneſn. 285. Idem in Vladiſl. 348.
(s) p. 451.
(t) p. 495.
(u) p. 580.
(w) Ploc. 152.
(x) Mon. Sar. 410.
(y) in Vlad. 758.
(z) Herb. 232.

Non *Drzewiccius* ut ille perhibet, illo tempore (1381.) Cancellarius Regni fuit, ſed Joannes de *Radlice* ſtemmatis

*Korab* Canonicus Cracovienſis, Regius Medicus & deinde Epiſcopus Cracovienſis, propter brevitatem ſtaturæ *Epiſcopus parvus* dictus, id quod teſtantur *Dlugoſſus*, (a) *Cromerus*, (b) *Paprocki*, (c) *Okolski* (d) & *Starowolski*, (e) maxime verò Diploma ipſius Regis Ludovici ſuper *Szepne* Conventui *Miechovienſi* inſerviens, de datâ in craſtino S. Martini anni ejusdem 1381; quod apud *Nakielſcium* (f) legitur.

(a) X. 56.
(b) 222. a.
(c) Herb. 462.
(d) I. 418.
(e) in Crac. 115.
(f) Miech. 318.

Sed jam ſatis circa corticem verſamur, jam tandem ad nucleum deveniamus. Hunc ita Commentator enucleat „*Detentis ſub Mareſchalcali cuſtodiâ Regiis Senatoribus, Lubranſcio Epiſcopo in mandatis datum, ut Proditores Reipub. jurejurando ſolenniter ſuper Evangelia facto finaliter convinceret, quo præſtito, unius horæ ſpatio capite plexi ſunt, eorumque cadavera, Regio ab utrâque parte ſubjecta Throno, ac pretioſo purpueri coloris panno tecta fuerè*“ In his paucis verbis quot puncta, tot puncturas, quot commata, tot ſcommata, Uncto Domini Regi, Eccleſiaſtico Statui, Senatorio Collegio, Ordini Equeſtri, toti denique inclytæ Polonæ genti injuria, adeoque ultricibus flammis expianda, prophanus Commentator coacervare auſus eſt, dignus cui pro *Calumniæ* piaculo, in notam infamiæ, uſu olim apud veteres recepto (teſte *Lipſio* & *Voſſio* (g) perfrictæ fronti littera majuſcula K ferro inuratur candente.

(g) in Ariſt. I. I. c. 17.

Primo enim detrahit Regi contra expreſſum Divinum (h) præceptum, *Diis* (id eſt ſuperioribus) *non detrahes & Principi Populi non maledices* dum loco 12. leunculorum, ſtantium ſuper 6 gradus, hinc atque inde, quales Salomonis (l) Regis

(h) Exod. 22. 28.

pacifici aſcenſum purpureum, mediâ charitate conflatum, (k) ſtipabant, duodecim à truncis reſecta, cruoreque recenti adhuc manantia ſupplicatorum capita, ab utrâque Regii Throni parte, catervatim collocata, & avulſo purpurei coloris panno, detecta, innocuo Regis Ludovici ſiſtit obtutui, hocque facto, illa *Simei Davidi* Regi maledicentis innovare videtur improperia. (l) *Ingredere, ingredere Vir ſangvinum & Vir Belial, reddidit tibi Dominus univerſum Sangvinem, quoniam invaſiſti Regnum, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſangvinum es.*

(k) Cantic. 3. 10.

(l) 2. Reg. 16. 7

Nihilo ſecius detrahit Commentator & Eccleſiaſtico Statui, dum eo inattento, quod *Eccleſia à ſangvine abhorreat* ſacriqueCanonesClericis ſub ſuſpenſionis & Irregularitatis interminatione, mortem alicui oppetere vetent, virum in Spirituali imo Epiſcopali charactere conſtitutum *Lubranſcium* reos morti addicendos juratoriè idque (Vah! Sacrilegam lingvam) jurejurando ſuper Sacroſancti Evangelii codice ſolenniter facto, conviciſſe, & ita manus incruento Sacrificio dicatas, cruore occiſorum contaminaſſe conſpurcaſſeque ore jactat vaniloquo.

Detrahit denique Commentator Senatorio Ordini, dum procaci lingvâ effutire non veretur, illos, qui in Comitiis *Budenſibus* fuerant Proceres, nullo *victos jure* (quo ſine *neminem* Polonorum *Nobilium captivare licet*) lucronum inſtar, in carceribus detinendos, cuſtodiæ Mareſchalcali traditos, uniusque horæ ſpatio, nullo dato capita accuſationum juſtificandi, ſeſeque expurgandi loco, tyrannico modo, capite plexos fuiſſe.

Simi-

Similiter detrahit & Equeſtri Ordini dum hoc probroſo delinquentium Senatorum ſuplicio merè conficto, eximias in hoc Regno Familias, eandem cum iis Senatoribus originem ducentes ſimilique Gentilitio Inſigni utentes qualia ſunt, Aſcia (Okſza) *Strzeleccíorum*, alia diverſa Aſcia (Starza) *Sieciechiorum*, Aquila dimidiata (Sulima) *Służewſciorum*, Virgo Urſo inſidens (Rawicz) *Laſſotarum*, Faſcia (Nałęcz) vel navis Łodzia) *Krempiorum*, Cygnus (Łabęc) *Dunino-Szpotorum*, tres Haſtæ (Jelita) *Gomolinſciorum*) dedecoroſâ, turpique ignominiæ labe, aſpergere ſatagit.

Ad extremum denique detrahit toti Inclytæ Genti Polonæ à veteri Sauromatarum feroci, ſangvinemque ſitienti genio longe alienæ, nec cruoris cædisque cupidæ, dum illam more recepto apud barbaras & efferas, *Maſſagetarum*, *Hircanorum*, *Troglodytarum*, *Candabatum Antropophagorumque* Gentes, ex ſquallentibus ſuorum Purpuratorum Patrum truncis ſibi, Principi verò ſuo, ex atro tepefactis cruore eorundem cervicibus, circa Regium Thronum ex induſtriâ graphicè ab utrinque diſpoſitis, perjucundum excogitare voluiſſe ſpectaculum comminiſcitur.

Comminiſci autem, vel ex tribus iterum perpetratis in hac narratione contradictionibus, oppido liquet; Legitur enim in quibusdam exemplaribus MSS. capite plexorum Senatorum numerum fuiſſe duodenarium, cum tamen ſuperius nonniſi ſeptem *Budam* pro Comitiis proficiscentium, ibiq; voluntati Ludovici, de commutatione Provinciarum *Ruſſiæ*, obtemperantium, & ob id pænam mortis incurrentium Procerum,

cerum,

cerum, exprimantur nomina: Patet ergo de induſtriâ hunc numerum uti magis uſitatum & receptum hic fuiſſe adinventum, ac proinde totam narrationem eſſe merè mireque fictam.

Deinde in copiâ legitur *poſtridie* in quibusdam verò MSS. exemplaribus *poſt triduum* ab hac ferali tragædiâ, Senatores ſe *Gologorum* contuliſſe, ad invitandum pro Comitiis Regem, hucusque de cæde illorum Procerum neſcium. Sed utcunque dicatur, omnino impoſſibile apparet, Ludovicum id hucusque penitus ignoraſſe. Vix enim fieri potuit, quin Senatorum partibus Regis addictorum, vel amicitiæ ſangvinisque nexu cum iis Proceribus incarceratis (cum ex præcipuiis familiis eſſent, pluresque haberent agnatos) conjunctorum, vel denique clientelâ famulitioque obſtrictorum, vel tandem privatorum hominum, gregariorumque militum (cum 50 millia armatorum coram ſtetiſſe dicantur) aliquis, lucri captandi gratiâ, citispaſſibus *Gologorum* (uno milliari *Glinianiis* diſtantem) Ludovicum vel ſaltem aulicorum aliquem, de illo eminenti Senatorum ſupplicandorum periculo vel de ſubſecutâ jam illorum cæde, ipſiusque Regis diſcrimine ſubitaneum non perhibuerit nuncium: arcanum enim quod *inter tres abeſſe* uſitato veriverbio dicitur, in tam numeroſo cætu ſervari potuiſſe, *credat* Judæus *Apella non ego.*

Illam verò Procerum cædem Ludovicum latuiſſe, non tantum quousque Senatores eum ad Comitium invitaturi perveniſſent, imo verò quousque ipſe Regium non conſcendiſſet Thronum, tapeteque detecto, capita cæſorum oculis ejus

ejus ſubjecta non fuiſſent, futiliter perhibet Commentator. Ludovicum enim inter advenientes *Glinianios* Senatores, illos Clientes ſuos *Budenſes* non conſpicatum, facile eorum cladem ſeu proximum periculum ſuſpicari potuiſſe, adeoque ſeriam de iis indagationem requirere, nec plenâ de incolumitate eorum habitâ notitiâ, ſe loco movere debuiſſe, nemo inficias ibit.

Non aliam autem Commentator adhibet cauſam, ſupinæ ejusmodi Ludovici ignorantiæ, niſi quod *nocturno tempore detruncati fuiſſent*, quaſi vero, dum *medium ſilentium tenerent omnia, noxque ſuum curſum perageret*, quies Regis hoc Nuncio, (Regem ſummopere afficiente) minimè interrumpenda foret.

Sed quomodo nocturno tempore illos detruncatos fuiſſe Commentator aſſerere potuit? utpote qui ſuperius dixerat capite plexos fuiſſe *unius horæ ſpatio à ſoluta Comitiorum illius diei ſeſſione*, quam tamen de nocte celebrari, ne *negotium perambulans in tenebris* (m) videretur, minimè expediebat.

(m) Pſal. 96.

Sed jam ab hac inficetâ Commentatoris narratione, ad emphaticam *Granovii*, Ludovicum alloquentis, me converto apodoſin. Gravi comptoque ſtylo eam contextam quidem nullus inficiabitur, ſed vel eâ de causâ, illam pro apocryphâ & ſuppoſititiâ, cenſeri debere minimè abnuet. Legat enim quicunque volet in veterum Monumentorum archivis, priſcorum noſtratium Conſulum orationes in Comitiis habitas, (qualis inter alias illa, Martini *Broniowſki* Notarii Leopolienſis, ad *Sigismundum Auguſtum* impreſſa habetur in Hiſtoriæ

(n) Tom. II. Edit. Dlugoſſ. p. 1592.
(o) Ibid. præf. p. 51.

Orichovianæ Annali VI. (n) quæ Patrio idiomati reſtituta, ita præfatione Tomi II. Hiſtoriæ Dlugoſſianæ (o) cernitur) & factâ diligenti ab utrinque collatione, iſtius ſimplicis & obſoleti ſtyli (qui temporibus Ludovici adhuc fuiſſe obſoletior, utpote 170. circiter annis vetuſtîor cenſendus) illius verò modernam (ut ita Latinam vocem ad Polonum idioma detorqueam) *Patavinitatem* redolentis, eam poſtliminiò conſictam fuiſſe, facile divinabit.

Ut verò, eo faciliùs hæc prætenſa *Granovii* oratio, proſuppoſititio partu cenſeri queat, ſpeciminis loco, duos tantum aſſumo ejus periodos, falſi Commentatorem exinde convicturus. Et primò, legitur ibi ita: „*Resp. Polona haud leviter* „*animo conqueritur, quod S. R. M. V. in majorem ejus contemptum,* „*extraneis eam regendam tradiderit; & in tanto mærore patienter tamen HUCUSQUE in gerendis Magiſtratibus Peregrinos tulimus,* „*quorum gravi dominatione ut nos M. V. eximere velit obnixè oramus.* Verum ex iis, quæ ſuperiùs ex Hiſtoricorum placitis à me dicta ſunt, certò certius conſtat, amoto demum *Vladiſlao* Opolienſium Duce à Regni Regimine (quod heic loci, *extranei & peregrini Magiſtratûs* nomine venit) Triumviratum à *Ludovico*, Regno regundo formatum fuiſſe, ſolis Polonis, nempe *Zawiſza Curozwancio* Epiſcopo, *Dobeslao* Ejus Fratre Caſtellano, Cracovienſibus, & *Sandivogio Subinio* Palatino Calliſſienſe, conſtantem, idque adhuc 1380. in Comitiis Budenſibus, prout teſtatur *Miechovita,* (p) *Cromerus* (q) & *Sarnicki.* (r) Si itaque anno adhuc præterlapſo Regimen Regni, ſolis Polonis concreditum erat, certe *Granovius* Ludovicum, gravis

(p) p. 253.
(q) Pol. 294.
(r) p. 334.

vis exoticorum & peregrinorum Dominationis eo usque Polonos anguſtiantis non argueret, utque is eximeretur, non compellaret, niſi hæc oratio merè conficta eſſet.

Hanc expoſtulationem alia non minus frivola ſequitur petitio, nempe *ut Diadema Regni per Theſaurarium Poloniæ ablatum, reſtituatur.* Sed & ipſa ſimiliter falſitatem Orationis totiusque adeò Narrationis arguit, *qui enim facit plus, minus quoque facere* vulgo dicitur. Quodſi Ludovicus, in ſuâ ad poſtulata *Granovii* Oratione reſponſoriâ, ore *Jaroccii* expreſſa, alia & quidem multo difficiliora (ut ſunt permutationis ditionum Hungaricarum pro polonicis annihilatio, Extraneorum quorumvis ab Officiis Regni amotio, Judiciorum ſummæ appellationis expeditio, Majora Libertatis Nobilium incrementa) ultrò pollicetur; Diadematis verò in Hungariam ablati reſtitutionem (id quod minimum negotii fatiſcere debuiſſe videbatur) nec appromittit, nec defactò ſubſecutam illam fuiſſe colligitur ex eo, quod nonniſi poſt ejus obitum, anno demum 1412. Vladislao Jagelloni Regi tum *Budæ* præſenti, â Sigiſmundo Hungariæ Rege, Ludovici genere reſtitutum, ſeu potius dono datum fuerit, (id quod teſtantur *Cromer*, (s) *Wapowski*, (t) *Bielski*, (u) *Strykowſki* (w) & *Henelius* (x) in Annalibus Sileſiæ) non immeritò igitur de hujus Orationis, adeoque totius Narrationis ſubſiſtentiâ dubitari poteſt.

(s) 280. b.
(t) in Bielski Chron. mundi p. 381.
(u) p. 272.
(w) 452. & 540.
(x) in Sommersb. Script. Sileſ. II. 388.

Expletâ ejusmodi Oratione, *decollatorum corpora detecta „fuiſſe, Regemque (qui hoc cæſorum Clientum aſpectu timore perculſus „dicitur) per ſuum Interpretem Jaroccium, ſi aliter id fieri non licuit, „*

*id haud vitio Polonis vertere velle* reſpondiſſe, Commentator nobis perſvadere tentat, ſed majorem hoc nugatore fidem apud quemvis cordatum Lectorem inventurum fore *Sarnicium* (y) reor, qui expreſſis de Ludovico ait verbis, quod fuerit *maleficio juxta ac beneficio ſe ſuperari haud patiens*, quod ſi talis Ejus fuiſſe genius cenſendus eſt, quomodo igitur tanta ei puſillanimitas adſcribi queat? ut non tantum illud facinus in Clientes ſuos perpetratum patienter tulerit, velut Commentator inferius addit) amarè flendo, Polonos deprecatus fuerit, ſed etiam vincens in bono malum, omnibus Ordinum poſtulatis ſe ſatisfacturum, verbo Regio declaraverit, permutationem Ditionum pro Polonicis Hungaricarum annihilaverit, Extraneos ab Officiis Regni ſe amoturum obligaverit, *Cracoviæ*, judiciorum causâ, ſe integro menſe commoraturum appromiſerit, ac demum tot tantisque Libertatibus ac immunitatibus, (ut paribus ante illum Regum nullus,) Polonam Nobilitatem cumulaverit? Aſt demus adhuc, *Ludovicum*, injuriam omnem ſibi allatam, oblivioni dediſſe, neque adductis ex Hungaria auxiliaribus copiis ulciſci voluiſſe, quo verò pacto dici poterit, eum, cum antea nullo habito offendiculo non auderet, poſt hanc demum transactionem, Senatum & Equeſtrem Ordinem, ne deficiente maſculo Hærede alterius Nationis quispiam præter unam ex ſuis Filiabus Regno præficeretur, enixè oraſſe, qualem ab ipſo propoſitionem nonniſi tum, cum gratiâ ac favore Populi multum vigeret, fieri expediebat.

(y) p. 334. in II. Tomo. Dlugoſſ. p. 1152.

„In eadem reſponſione Ludovicus dixiſſe perhibetur, *à per-*

*à permutatione ditionum Hungaricarum (pro Leopolienſi, Halici-* „ *enſi, Præmiſlienſi & Sanocenſi Territoriis) ſe recedere, eamque pe-* „ *nitus annihilare velle,* " Verum hanc permutationem eſſe mere confictam (ac proinde & ſupplicium Procerum Polonorum ob id inculpatorum) colligo ex teſtimoniis Hiſtoricorum, quæ hîc pro majori elucidatione atttexere, haud ſupervacaneum judicavi.

Secundùm *Dlugoſſum*, (z) *Miechovitam*, (a) *Cromerum* (b) *Herburtum*, (c) *Neugebauerum* (d) *Stryķovium* (e) & *Wapowſcium* (f) A. 1370. Ludovicus in ipſis Regni primordiis *Vladislao* Opolienſium Duci ex *Eliſabeta* Filiâ Sororis Caſimiri M. genito, Regnique Hungariæ Palatino, Terram *Wielunenſem* (quæ olim *Rudenſis* vocabatur) cum pluribus caſtris, Prælatis & Baronibus Poloniæ nec quicquam adverſantibus & improbantibus donavit & inſcripſit, profitente Duce ſe Terram prædictam in Feudum & jure Feudi accepiſſe, ad Poloniæ Regnum, ſi illum absqve Liberis maſculini ſexus mori contigerit, devolvendam. Deinde A. 1377. ſecundùm ſcriptorem coætaneum *Dlugoſſo* antiquiorem, Anonymum Archid. Gneſn. in breviori Chronico Poloniæ (g) *Vladislaus totius Ruſſiæ Dux & Dominus, cernens quod mobile Dominium Rusſiæ propter inſultus Litvanorum pacificè tenere non poſſet, ipſum Domino Lodvigo reſignavit.* Jam verò ſecundùm *Dlugoſſum*, (h) *Miechovitam*, (i) *Cromerum*, (k) *Neugebauerum*, (l) *Bielſkium*, (m) *Strykowium* (n) & *Wapowium* (o) Ludovicus cum eſſet in Hungaros magis, quam in Polonos pro-

(z) X. 7.
(a) p. 249.
(b) p. 223. a.
(c) p. 182.
(d) p. 213.
(e) p. 452.
(f) apud Bielſki in Chron. Mundi 377. a.
(g) Sommersberg in Script Sileſ. II. 119.
(h) X. 37.
(i) p. 253.
(k) p. 229.
(l) p. 219.
(m) p. 250.
(n) p. 458.
(o) apud Bielſki in Chron. Mundi 377. b.

propenſior, Terrarum Ruſſiæ glebam uberiorem & ſitum contemplatus, applicare illos & ſubjicere *Hungariæ* Regno & à Poloniâ ſequeſtrare in animum induxit, *Vladislaum* itaque Oppolienſium Ducem, cui plerosque diſtrictus & caſtra in Ruſſiæ Terris perpetuâ largitione donaverat (ex quo *Ruſſiæ Princeps* vulgato & communi ſermone denominabatur) ex terris Ruſſiæ & Diſtrictibus atque Caſtris ſibi inſcriptis, quò facilior Regno *Hungariæ* illarum accedat ſucceſſio, amovêt, Ducatusque, *Dobrinenſem* (qui antiquitus *Wiſſegradenſis* vocatus fuit) & *Gniewkowienſem* illi perpetuò, quo æquiori animo deſtitutionem Terrarum Ruſſiæ ferret, donat (& eâ quidem lege ut Sacramento adactus, in fide & clientelâ Regum Poloniæ (quod Feudum vulgò vocant) ſemper eſſet & ad ſolos masculos Hæredes ii transmitterentur) caſtraque diſtrictus oppida & villas Ruſſiæ, Polonis nec quicquam obſtantibus aut improbantibus, aut comittit, aut partitur Hungaris (p) *Bonfinius* eos ſic recenſet, *Emericum* Agrienſem Epiſcopum, Georgium *Suderem* cum Fratribus, Emericum *Bebecum*, *Lapolæum*) qui Ruſſiam Ludovici nomine cum imperio obtinuerint. *Suſpecta & moleſta ea res de Ruſſiâ Polonis fuit, ſed nihil tunc in promptu erat, quod in ea re facerent, abſente Rege, aut quomodo voluntati ejus refragarentur. Itaque de Præfecturis Ruſſiæ patienter tunc latum* ſunt verba Cromeri.

(p) in hiſt. Hungar.

Ex his Scriptorum allegatorum verbis luculenter apparet, Ludovicum non pro Ducatu *Scepuſienſi* permutare, ſed omnino à Regno alienare Ruſſiam in animo habuiſſe, deinde

de illam alienationem factam fuiſſe A. 1377. ac proinde 4 annis ante Comitià *Budenſia* (A. 1381. mediis Quadrageſimæ habita) in quibus Proceres illos capite plexos, Ludovico prætenſæ commutationi aſſenſum præbuiſſe perhibet Commentator. Denique hanc alienationem, licet ſuſpectam & moleſtam, *patienter tamen* à Polonis *latam fuiſſe.* Quid verò ſequitur? niſi prædictam Commutationem, adeoque & totam commentationem eſſe apocrypham, falſo ſuppoſitam & adinventam, ac proinde Procerum Polonorum, ob id unice inculpatorum cædem, eſſe puram putam fabellam, cachinno potiùs quam credulitate (crudelitatis illius admiratrice) quam hucusque apud plures vel Eruditos neſcio quo fato vel genio reperit, excipiendam

Poſt hæc nubila *Phœbus*, poſt *Hyadas Oryona* in ulteriori Cōmentatoris Narratione ſpectantur, *repreſſaq; crudelitatis hyeme, remotâ tempeſtate, per dilectionis vernum, lucidior annus aperitur*, ut verbis *Gregorii* utar (q) Repentinam hic etenim à cruore occiſorum, ad ſangvinem Regi *Ludovico* ſupervictuſrum, à gradibus Throni ſangvine manantibus, ad ſolium Poloniæ à ſangvine Ludovici occupandum fingit tranſitionem, dum dicit " *Senatum Poloniæ, Ordinemque Equeſtrem, libenter ſubſcripſiſſe voto Regio, ut quoniam ipſi maſculus hæres deeſſet, & ſolummodo Filiæ extarent, poſt ejus exceſſum, una ex ſuis Filiabus Regno præficeretur, hincque factum eſſe, ut Rex Ludovicus tot tantisque libertatibus ac immunitatibus Nobilitatem ornaret Polonam, quarum nullus Regum ante illum majores Poloniæ conceſſit.* "

(q) Greg. Moral. l. 9. c. 6.

Quanta

Quanta verò hic iterum mendaciorum ſexjuga carpenta? hæc ut pateant, en! lege genuina verba Anonymi Archid. Gneſn. in brevi Chronico (r) cui majorne præ illo Veteratore, utpote vetuſtiſſimo, & identidem coætaneo ſcriptore (qui 14 abhinc annis nempe 1295 diem obiit extremum) adhibenda ſit fides, cuivis judicandum relinquo

(r) Sommersb. in Script. Sileſ II. 112.

*Eodem itaque Anno (1374.) cùm Dominus Loduigus Rex predictus ab incolis Regni Poloniæ, tam Eccleſiarum quam Nobilium tributum quoddam, quod Poradlne dicitur, petebat, exigere volens, Archi Epiſcopus verò & Epiſcopi ac viri Eccleſiaſtici ſibi denegabant, ac eciam Nobiles dicentes, ſe à quibusvis talibus exaccionibus & tributis per ſuas litteras penitus abſolutos. Ipſe nichilominus in ſignum dominii tributum aliquod inquirebat, & quia in litteris ſuis, ſi quos quam Nobiles Poloniæ ſolum Lodvigo Regi & filiis, ſuis ſi quos haberet ſe feciſſe fidelitatem affirmabant, qui carens filiis, voluit ut filiabus ſuis, quas habebat, eandem fidelitatem facere deberent. Idcirco non valens aliter ab eis litteras ſuas eripere, omnes Regnicolas à tributis quibusvis, per novas litteras abſolvit, ſolum duos groſſos, de quolibet manſo ſingulis annis ad Theſaurum ſuum ſolvendos, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus reſervavit, ſicque litteris prioribus fractis, nowe fuerunt conceſſe, in quibus Poloni fidelitatis omagium fidelibus Regis ſatis pudoroſe fæminas ſibi regnare preſtiterunt, promittentes, kmethones ſuos duorum groſſorum de quolibet manſo, ut præfertur, perpetuis temporibus ſolutionem ſubmittentes.*

Sed vel ipſum hujusmodi Privilegiùm, reperitur impreſ-

ſum

ſum, apud *Laskium*, (s) *Herburtum*, (t) & *Januſſovium*, (u) cujus hic eſſentialia habe, *Cum geſta Principum debeant* &c. &c. *Proinde nos Ludovicus* &c. *Ad univerſam notitiam volumus devenire, quod ex puro animo & ſinceris affectibus, Regnum noſtrum Poloniæ in bono ſtatu & robore permanere anhelantes, licet alias noſtris promiſſionibus inſtrumentorum, ſeu Privilegiorum, Nobilibus ipſius Regni Poloniæ fuiſſemus obligati. Quod decedentibus nobis de hac luce, maſculinam prolem noſtram tantum, & non fæmineam deberent habere, & ſibi recipere noſtrum in hæredem & ſucceſſorem Regni Poloniæ; demum Baronum, Militum, Nobilium & aliorum omnium conſenſu & voluntate accedente, filias noſtras, non extante prole maſculinâ, ſibi in Dominos & hæredes Regni prædicti acceptarunt, quas fieri noſtros ſucceſſores, & coronam Regni Poloniæ ipſas volunt & voluerunt obtinere. Tamen in eo caſu, quo filium vel filias, divina nobis providente clementiâ habuerimus, unum ex eisdem, maſculis illis deficientibus, unam ex noſtris filiabus nunc natis & extantibus ac in futurum naſcituris, quem vel quam, Nos vel Excellentiſſima Domina Regina Mater, & Conſors noſtra chariſſima, ipſis aſſignabimus & aſſignabunt, illum vel illam habeant pro hærede & Succeſſore noſtro, & ipſi Regnicolæ aſſumere teneantur & habere, prout eisdem per Barones, Nobiles, Proceres, Civitaten. & ſingulos inhabitatores Regni Poloniæ fit, & facta eſt, de noſtra voluntate obligatio homagialis, & promiſſio fit & facta eſt; exnunc prout extunc & extunc prout exnunc recipient in Principem hæredem & legitimum Succeſſorem & deinde vel abinde, Succeſſores eorundem vel earundem, locum regiminis habeant obtinere in Regno Poloniæ prænotato.*

(s) fol. 40.
(t) Lat. 840. B. 152. Id. Pol. 1.
(m) Januſ. 1. in Vol. Leg. NovæEdit. 55

*notato*. &c. &c. &c. Datum *Caſſoviæ* (*w Koſzyach*) in Hungariâ 17. Sept. A. 1374.

Ludovicus duas tantum Filias ſuſceperat, ex alterâ uxore *Eliſabethâ*, Filiâ *Stephani* Regis *Boſniæ* (& Eliſabethæ Maſoviæ Caſimiri Ducis Gniewkowienſis Filiæ) (w) quæ poſt Sui Mariti (Ludovici) obitum à Joanne *Herwatio* Bano *Croatiæ* demerſa & ſuffocata eſt. Harum 1. *Maria* quæ anno demum 1382. nupſerat *Sigiſmundo* Marchioni Brandenburgico, & ſucceſſivè Imperatori Romano, Caroli Imp. & Regis Bohemiæ ex 2. Uxore *Eliſabetha*, *Boguslai* Ducis *Stolpenſis* Filiâ ſuſcepto, cui Ludovicus in fundamento hujus Privilegii, Regnum Poloniæ, pro dote aſſignaverat teſte *Dlugoſſo*. (x)

(w) Piſtor. in Corp. Script. Pol. III. 152.

(x) X. 67.

Altera Ludovici Filia *Hedvigis*, quam initio Pater *Wilhelmo* Duci Auſtriæ deſponſaverat, verum non niſi poſt ejus obitum A. 1386. *Vladiſlao Jagelloni*, cum dote Regni Poloniæ, à Statibus Regni elocata eſt, nec *Wilhelmo* unquam carnaliter copulata fuit, uti id calumniatus eſt *Gniewoſz Datewicz* Sub-Camerarius Cracovienſis, ſed in Comitiis *Wiſlicienſibus* citatus, palinodiam cantare debuit (quo circa vide *Dlugoſſum* (y) fusè diſſerentem) hancque calumniam pro re certa peſſimè exſcripſit, incertus *Dusburgii* (z) Chronici Pruſſiæ Continuator.

(y) X. 102.

(z) p. 129.

Ex hoc itaque Anonymi Archid. Gneſn. teſtimonio, tum & ipſo Privilegio *Ludovici* ſufficienter eruitur.

1.) Ab 8. Annis videlicet 1374. non 1381. ut Commentato

tator innuere videtur, Ludovicum unam harum Filiarum pro Succeſſore in Throno Poloniæ ſibi deſignâſſe.

2.) Id Privilegium emanatum fuiſſe *Caſſoviæ* in *Hungariâ*, non *Glinianiis* in Polonia, ut Commentator perhibet.

3.) Status Regni Poloniæ his Ludovici votis annuiſſe, non intuitu factæ appromiſſionis de annihilandâ Ducatus *Scepuſienſis* pro Ditionibus Ruſſiæ commutatione, & aliarum pollicitationum ſupra à Commentatore expreſſarum, ſed in vim gratitudinis pro dimiſſo tributo *Poradlne* dicto.

4.) Non tum (1381.) ut vult Commentator, ſed jam A. 1374. Ludovicum libertates immunitatesque Nobilitati Polonæ contuliſſe, quas illud ipſum Privilegium, cujus hic initium exſcripſimus, continet

5.) Præ Ludovico multò plura & majora Privilegia Avum ejus Caſimirum, Nobilitati Polonæ conceſſiſſe, prout id Volumen Legum recentiſſimæ Editionis ad paginas 1. 55. 95. 144. 160. conferenti cuivis, facilè pateſcet.

Hæc fuére, quæ ob amorem veritatis, pro deſtruendâ illa *Glinianenſis* fábella, omnium fabularum fabuloſiſſimâ relictis mancis & apocryphis ſcriptis cum Hiſtoricis experientiſſimis in medium adferre voluimus. Ut verò etiam deformes Buccæ, ſuos habent baſiatores, ita quoque nulla tam abſurda ſententiarum portenta afferri poſſunt, quæ non ſuos nveniant Propugnatores, quemadmodum id ex præſenti narratione non poteſt eſſe manifeſtum. Quam lubrieo fundamento nitatur narratio iſta, quis eſt, qui non videat? nihilo tamen ſecus eam non tantum *ciceris probat aut nucis emptor*,

ſed etiam eorum plurimi, qui eruditiſſunt adſcribendi. Et quod magis mirum, nonnulli in Scriptis, Litteris, & Declamationibus ſuis fabulam iſtam proponunt, alii Faſtis illiniunt, ne lateat vulgum, utrique pro ejus veritate, tanquam *pro aris ac focis*, acriter digladiantur. Inter omnes præcipuum obtinet locum *Auguſtinus Kotudzki* Judex Junivladislavienſis, qui omnes ingenii nervos eo intendit, ut ſomnium iſtud in poſſeſſionem veritatis transferat. Quam in rem quidem, varias compilavit rationes, ſed ficulneas & quæ examen non ſuſtinent. Quia tamen eam ſuſtinentes fabellam Scrupulum aliquem præ ſe ferre poſſent, hinc ea nunc perpendere, & ad lydium criſis lapidem examinare vacat.

Fatetur initiò *Koludzkius*, nullum ex priſcis Hiſtoricis, hujus transactionis Ruſſicæ, ullam vel minimam mentionem feciſſe, ſed tantum initium & finem Regiminis Ludovici recenſere, *Glinianenſem* verò ſeditionem ſicco veſtigio præterire, niſi quod recentiores quidam, utpote *Paſtorius* & *Kochowſcius*, ejus quodammodo meminêre.

D. Fridericus Wilhelmus *Sommersberg* Eques Sileſius A. 1729. 30. 32. tres tomos Scriptorum Rerum Sileſiacarum, non Sileſiæ modo ſed & Vicinarum Gentium, (utpote Poloniæ) res adornantes *Lipſiæ* imprimendos curavit, quibus, præter plures alios, duos Hiſtoricos Polonos, præciſè tempore Regis Ludovici ſcribentes, hucusque nobis ignotos & inviſos ſè latebris litterariis, maximo hiſtoriæ noſtræ elucidandæ commodo prolatos, inſerendos cenſuit.

Horum unus Anonymus in ſuo Chronico Principum Poloniæ

loniæ (a) ita ſcribit *Ludovicus ſine hærede maſculini ſexus deceſsit, relinquens duas filias, Seniorem Mariam, aliam verò deſponſatam Ducis Leopoldi Filio AUSTRIO Juniorem* & &c. Ex quibus verbis, *Hedvigem* expoſt *Vladislao Jagellone* nuptam reſpicientibus clarè apparet, Scriptorem illâ ætate vixiſſe, imò oculatum teſtem fuiſſe. Alter verò Tomo II. obvius (b) itidem Anonymus Archidiaconus Gneſn. in brevi Chronico Cracoviæ ab O. C. ad 1395, hæc verba habet (c) *Anno* 1370. *Rex Caſimirus M. morti proximus Deo & S. Sigismundo votum vovit, ruinas Templi Plocenſis volens reformare, & vicariis quartas asſignare, me accerſito, mihi & aliis audientibus ſtatim ſe ſenſit aliqualiter à febre relevatum, mandans michi, ut ad Plocenſem Civitatem mitterem &c. &c.* Ex quibus verbis ſimiliter patet, eum coætaneum Scriptorem, imo Regium Aulicum, ac proinde oculatum fuiſſe teſtem, ac tempore Regis *Ludovici*, adhuc in vivis extâſſe, cum ejus Chronicon usque ad A. 1395. producatur. Hi itaque ambo ſcriptores, non auriti tantum, ſed & oculati teſtes, pro falſitate hujus fabellæ deponunt, cum ne minimum quidem Jota aut unum apicem de Transactione *Glinianenſi* ſcriptum reliquerint, licet ſat fuſè illius ætatis hiſtoriam deſcribant.

(a) Tom. I. p. 13. ad 64.

(b) a pag. 78. ad 155.

(c) p. 99.

Ad hæc objicere mihi poterit aliquis, hos tùm & alios iis poſteriores ſcriptores, hoc factum reticuiſſe ob metum offendiculi, & ne Regem diffamaſſê viderentur, ſi peſſimæ ejus intentiones, de avellendâ à Corpore Regni Ruſſiâ, in propatulo ſeræ transmandarentur poſteritati. Aſt quam inſulſè id objici poſſit, judicabit quivis, poſtquam apud ſingu-

los Scriptores, multò pejora de Ludovico (quæ ſcribere minimè verebantur) vituperia, improperiaque legerit, quæ hîc ſummatim exſcribere neceſſe duxi.

(d) Sommersb Script. Sileſ II. 106.

Et primò quidem, idem Anonymus Archid. Gneſn. (d) tale Ludovico ſcribit elogium. *Ludovicus Regnum Poloniæ in nullo ſtabiliens ad propria remeavit. Hoc verò fiebat quod Ungari ſui, per villas eundem ſequentes ſugebant domos habitancium & res eorum violenter rapientes ſecum aſportarunt, nulli autem pauperi ad Regem prædictum, injuriam paſſo, Ungaris prohibentibus aditus patebat, in ipſiusque abſentiâ, dilecta genitrice ſua nomine Elizabeth Ungariæ Reginâ, regnum Poloniæ gubernante, pejora fiebant quam antea, quia nulla ſtabilitas ſive conſtantia in ipſo regno viguit, ſeu viget ad præſens. Nam cum ad Matrem recurſus haberetur, remiſit ad filium & filius ad Matrem viceverſa, ſicque nullus finis in negotiis niſi in ſibi beneplacitis haberi potuit ſeu poteſt. Hoc enim primum inconſtantiæ principium demonſtravit, quod omnes Conſiliarios principales, quorum conſilio mediante Kazimirus Rex feliciſſimus ſuper Regno prædicto jam defunctus omnia Regni negotia ſalubriter diſponendo dirigebat, à ſe ſucceſſive non cum feſtinatione alienabat, alios verò apud fratrem ſuum prædictum nullius reputationis in conſilio habuit, in ſuos conſiliarios aſſumendo, qui, non ut communis Regni expoſcebat utilitas, ſed prout eorum dementie expoſcebat cupiditas, eidem conſulebant. Seniorum Conſiliariorum conſiliis, quæ dare honeſtiſſimè conſueverant, atque dabant in eorum abſentia ſuſurrando impudicisſimè detrahebant, de quorum pravorum conſilio*

*tam*

*tam Officiales curiæ Regalis quam Provinciarum Capitanei, ſepisſimè cum gravisſima terrigenarum jactura imitabantur &c.*

Et infra. (e) *Tempore ejus multæ depredationes ſpolia & rapine in Regno Poloniæ. Nam Prælati Eccleſiarum in ſuis domibus commorantes, tempore nocturno equis libris rebus latrocinaliter ſpoliabantur, mercatores, & negociatores diverſarum partium Poloniam negotiantes ſpoliabantur, jumenta nobilium indomita præcipue in majori Polonia furtivè extra terram per latrones pellebantur. - - Nemo etiam reſtitutionem hæreditatum injuſte ablatarum, vel negotiorum gravium diſcusſionem ab ipſa Domina Regina potuit habere. Nam ea, quæ differre voluit, ad Filium ſuum Dominum Ludovicum Regem remiſit, & Dominus Rex viceverſa ad Matrem remittebat. Sicque homines talibus dilacionibus attediati à monicionibus deſiſtebant, ſua negotia DEI ordinationi committentes. Accuſantium dilationibus occultis aurem ſuam faciliter acclinabat, & credula eorum ſvaſionibus plurimis juſtis & ſuo filio fidelisſimis mala inferebat, & ex hoc inter Nobiles Regni Poloniæ odia & diſſenſiones ſatis multum exuenerunt, quæ ſolius Dei clementia in melius poterit commutare.* (e)Ibid. p. 124

Et infra (f) *Eodem Anno* (1381.) *tertia die ante feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, venerunt Cujaviam Nobiles viri Dobeſlaus Caſtellanus Cracovienſis,* Sandivogius *de Subyno Palatinus Kaliſienſis* & *Magiſter* Johannes *de Nadliczicze Archi-Diaconus & Cancellarius Cracovienſis, fingentes ſe habere auctoritatem à Domino Ludovico Rege Poloniæ reſtituendi hæreditates, dudum injuſte ablatas, ac querulantibus de Capitaneis juſtitiam exhibere. Juſſerunt in craſtino* (f)Ibid. p. 127

*ſtino Beati Johannis Baptiſtæ in terminis generalibus in Brzeſcze proclamari, ut omnes, qui hæreditates ſibi ablatas repeterent, Privilegia coram ipſis & querelas offerrent,* Privilegiorum *vero habitis copiis & querelis inerant feria ſexta poſthac proxima in Cruſzwiciam in Stzrelnam Sabbato, die dominico in Trzemeſznam, feria ſecunda in Maggliam, feria tertia in Gneznam & feria quinta* Poznaniam *intrarunt, ibique usque ad feriam tertiam permanſerunt, ad quos tam viri Eccleſiaſtici quam Seculares injuriam paſſi & reſtitutionem hæreditatum ablatarum perquirentes confluebant, ipſosque usque ad Kalis ſecuti usque in craſtinum S. Margarethæ ſequebantur, qui tandem pro ſua excuſatione aſtruebant, Zawiſcium Epiſcopum Cracovienſem ad feſtum* S. *Jacobi Apoſtoli debere venire, ſine quo reſtitutio hæreditatum ac cæterorum negotiorum diſpoſitio fuiſſet ipſis per Litteras Regis totaliter interdicta. Sicque omnes, qui de reſtitutione hæreditatum ac injuriarum refaccione juridica ſpem habebant, ſe deluſos concernentes, ad propria male contenti evacuatis marſupiis redierunt. Illi autem terras gyrantes hinc inde graves expenſas facientes primo poſt feſtum S. Jacobi Cracoviam redierunt.*

(g) Ibid. p. 137

Et adhuc infra. (g) *Hujus tamen Regis tempore nulla ſtabilitas, nulla juſtitia in Regno* Poloniæ *habebatur. Nam per Capitaneos & Burggravios ipſorum rapine continue in bonis pauperum fiebant, & cum aliqui bonis ſuis obligatis verſus Ungariam iviſſent Regi querelas deponentes, Rex ipſos cum litteris ſuis pro quibus magnas pecunias in Cancellaria dare cogebantur, ad propria remittebat. Sed ipſas Capitanei minimè advertentes, ipſos ut in antea majoribus*

*gravaminibus affligebant, deprædationesque mercatorum in ſtratis publicis & aliorum tranſeuntium & furta committebantur inceſſanter. Nec Capitanei rapinas ſeu furta cohibebant, ſeu cohibere volebant, ſed tantum propriis commodis & utilitatibus inhiabant.*

*Dlugoſſus* verò ita: *Interim Ludovicus moritur, cum apud Polonos annos duodecim, non ſine Polonorum gravamine, pernicie, & aſſidua ſeditionum & invaſionum civilium, ſenſim invaleſcentium, quos morbo & ſenio gravatus opprimere & extingvere neglexit, vexatione, apud Hungaros annis quadraginta imperaſſet.* (h) pag. 68.

Miechovita. (i) *Temporibus iſtius Regis Lodovici, nulla ſtabilitas, nullavè juſtitia in Regno Poloniæ fuit, bona pauperum rapiebantur, negotiatores ac viatores deprædabantur. Prælati ac Nobiles cum eorum rebus, equis & ſuppellectili de regno captivati educebantur. Exactiones ſæpe numero, contra pacta & præmiſſa Regis tempore Coronationis facta exigebantur. Sed Prælatis reſiſtentibus rarò ſolvebantur. Injuriam paſſi pro complemento juſtitiæ in Hungariam currebant, quos Rex ad Reginam genitricem ſuam & viceverſa, Regina ad Filium Regem Lodovicum remittebat. Litteris approbatis, quæ ex Cancellaria Regis gravi pecunia redimebantur. Capitanei minimè parebant propriis duntaxat commodis incumbendo.* (i) Lib. 4. p. 252.

**Cromer.** (k) *Nec tamen deſiderium Caſimiri defuncti Regis ex animis hominum Rex novus evulſit: imò plus etiam accendit, cùm non modò diſſimilis eſſet Caſimiri, ſed ne adiri quidem à noſtris ſine interprete poſſet: quin res quoque Polonicas negligere ac parvi facere videretur, ac non modò non intenderet animum ad recuperan-* (K) p. 223. a.

*da ea, quæ ſuperiori tempore â Polonia avulſa erant, verùm etiam enormem donationem adjiceret.*

(l) Ibid. p. 229 a. Et infra. (l) *Quin alia magis præſentia mala eos à ſenſu illius, quod in diem differebatur, avertebant, increbuerant latrocinia: creverat audacia perditorum & improborum hominum: debilior prædæ erat potentiori: vis non jus valebat: judicia vel ſilebant penitus, vel potentiorum injuriæ contra tenuiores ſuffragabantur, propterea quod nemo unus vindex legum ſcelerumque ultor erat, quem cœteri omnes revererentur.*

(m) p. 182. (n) p. 213. & 219. *Herburtus* (m) & *Neugebauer* (n) eadem iisdem fere verbis habent.

(o) p. 32. b. Guagnin. (o) *Ludòvico in Polònia regnante nihil memoria dignum gerebatur, ſed homicidia latrociniaque paſſim exercebantur, propter abſentiam illius. Qui verò de injuria ſibi allata in Hungariam ad Regem proficiſcebantur, hi, à Rege ad Reginam, à Regina verò ad factores Regios, & à factoribus ad gubernatores in Poloniam cum literis relegabantur, plurimisque injuriis & anguſtiis Polonia tunc temporis premebatur.*

(p) pag. 377. b. Bernardus *Wapowſki* (p) in Translatione Polonica quam ſe feciſſe pag. 338. *Bielſki* in Chronico mundi fatetur ita: *Potym rychło Ludwig Krol Węgierſki y Polſki na środ poſtu poſłał do Polſki po pany y prełaty, to ieſt, po Dobka, z kurozwąk Kaſztelana Krakowſkiego, y po Sendowoia z Szubina Woiewodę Kaliſkiego y Staroſtę Krakowſkiego, ktore Gubernatory w Polſzce uczynił. Ale ci pożytku ſwego*

*iedno*

*iedno patrzali, ubogie zyemiany iedno ściſkali, według praw piſanych nie ſądźili, iedno według widzenia ſwego czynili co chćieli.*

Et infra. *Za tego to Ludwiga, w Polſzce żadnego rządu nie było przez niebytność Krola, abowiem łupieſtwa, rozboie, raytarſtwa wielkie były, a ktory o krzywdę iechał do Węgier, Krol go odeſłał do Krolowey, Krolowa zaſię do Krola, potym do Polſki przez liſty, do Gubernatorow wſkazano oni na liſty nie dbali, za liſty lepak Węgrzy łupili, tak iż ze wſzytkich ſtron ućiſk wielki był.*

Martinus *Bielſk* in Chronico Poloniæ. (q) *Ktemu y to naſzych nie pomału obchodziło, ze nie mieſzkał znimi powiedaiąc że mu tu powietrze nic ſłuży, przeto ludzie ubodzy nie mieli ſię do kogo ućiec w krzywdach ſwoich: Prawa iakoby trzeba nie ſzły: możnieyſzy uboższego ściſkał. Jeśli ktorzy ieźdźili do Budzynia do Krola na ſkargę, żadney ſprawiedliwośći nieodnośili, tylko ie liſty odprawowano, za ktore Węgrzy wielkie pieniądze brali. Tu zaśię przełożeni nie mogli ſię ſami zgodźić z ſobą, każdy znich chiał rządźic y Krolem bydź.* (q) pag. 250.

Et infra. (r) *Chwali go Bonfinus w Węgierſkiey Kronice: lecz naſzy nie barzo: bo ſię wiele złego za niego dźiało w Polſzce: podobno przez niebytność iego.* (r) p. 256.

Bartholomæus *Paprocki* in Horto Regio (s) (*Ogrod Krolewſki*) id eſt Hiſtoria Impp. Roman, & RR. Poloniæ, (s) p. 165. b.

Bohemiæ &c. *Wiele ſię potym nad prawa y nadwolność R. P. od tego Krola działo co nie tak wiele ſam Ludwik iako Matka iego Hielźbieta Krolowa ſprawowała, ktorą Krol na ſwym mieiſcu w Polſcże zoſtawił. Chowała wiele Węgrow przy ſobie ktorży chćieli wiele dokazować, iako też czcembyli, w Kronikach Polſkich otym ſzeroko, kto chce wiedźieć naidzie. Panuiąc Ludwik w Polſcze lat dwanaśćie pozytku zadnego nie ucżyniwſzy racżey ſzkode więtſzą.*

*Możny Krol ale za naſze nieſtało,*
*Gdyż ſię w Kroleſtwie tym niegmyśli dźiało.*
*Kazdy na ſwoy młyn pilno ciągnał wodę.*
*A Pani Halzka mnożeła niezgodę.*
*Zdawna przypowieść tę piſzą na ścięnie,*
*Bieda Kroleſtwu ktore zlecą żęnie.*

(t) Paprocki p. prologom. ultima.

Idem in *Herby Rycerſtwa Polſkiego:* (t) *Nie barzo potym był wdzięcżnym Panem Lodwik, dla tego ze ſię z nimi bez Tłumaćża z mowić niemogli: Nad to wiele rozdał od Kroleſtwa, coc potym Hiſtorya powie. Helźbieta Matka iego potym po odiechaniu iego z Polſki przyiechała młodych ludzi do Rady nadała, a męze ſtatecżne z nich zrzuciła. Były potym rozruchy w Polſzcze dźiwne. - - Panował lat 12. z wielkim ućiſkiem R. P.*

Ita Poloni Scriptores; ſed demus, eos transactionem illam ſubticere voluiſſe, certè Scriptores Hungaricæ Hiſtoriæ, quales ſunt Antonius *Bonfinius*, Joannes de *Turoz*, Petrus

*Kan-*

*Kanzanus*, Michaël *Rittius*, Wilhelmus *Dillichius*, Caſpar *Heltai*, Hieronymus *Henninges*, Levinus *Hulſius*, Caſpar *Ens*, Nicolaus *Iſthuanſius*, Joannes *Nadány*, & Caſpar *Maurer* eam annotare haud neglexiſſent. Et de ea altum apud ipſos ſilentium. Imo Caſpar *Ens*, (u) ait: *Ludovicum motus omnes ſi qui orti fuerint, ſine maximis plebis incommodis in ipſo ſemine ſtatim magis nominis quadam reverentia, quam amorum vi extinxiſſe.* Quod ſi *Rokoſz Glinianenſis* locum habuiſſet, certe hic Scriptor ab iſta generali regulâ exceptionem quoad illam popularem ſeditionem feciſſet.

(u) Hiſtor. Hung. p. 83.

Sed demus adhuc ipſos quoque Hungaros, rem ſuo Regi dedecoroſam litteris mandare detrectaſſe, at Italos ſaltem, quibus exoſus Ludovicus erat, hanc vindictæ ſumendæ opportunitatem, perlubenter arripuiſſe. Infenſiſſimos Ludovico fuiſſe Italos nemo dubitabit qui ſecum expendet, illum, cædem Fratris ſui Andreæ (non Stephani ut perperam habet Dlugoſſus) (x) à Joanna Uxore, deinde Ludovico Principi Terrentino nupta (non Ottoni Duci Brunſvicenſi, ut habet idem ibidem) ſtrangulati ulturus, univerſam Siciliam ſubegiſſe, Canuſſium, Luceriam, Salernum, Averſam aliaque oppida, adeoque totum Regnum Neapolitanum occupaſſe, Romano Pontifici contra Barnabonem & Galleacium Vice-Comites Mediolanenſes auxilio fuiſſe, & denique cum Venetis Cypriæ Regum fædere pellectis ſumma contentione toto ſexennio ſangvinolentum bellum geſſiſſe (y).

(x) X. 55.

(y) p. 80. & ſeqq.

Jam vero ſi neque apud veterum Hiſtoricorum noſtratium (etſi Ludovico longe majora improperia opprobrantium)

tium) quendam, id quod nec ipſe Koludzki diffitetur, ulla hujus Transactionis Glinianenſis reperitur mentio, ſi nec apud Hungaricorum Scriptorum aliquem illa perſcripta legatur, imo ab iis Ludovicus dicatur *Motus quosvis in ipſa herba opprimere ſveviſſe*; denique ſi neq; Italorum Scriptorum quisquam illam teſtatam reliquit, licetſi Ludovicus ipſis fuerit exoſus, nemo certe mecum hanc Narrationem, nullo coætanei ſcriptoris teſtimonio fultam, aliter quam puram putamq; fabellam, merè confictam, excogitatam, & adinventam, aſſumet.

Sed jam recentium Scriptorum teſtimonia perſpiciamus. Ex his duos tantum Koludzcius recenſet, Kochowſcium nempe & Paſtorium, ego autem ne invidere videar & tertium his ambobus vetuſtiorem, Piaſecium (z) videlicet, cujus teſtimonium ipſi haud innotuiſſe apparet, lubens eum adjungo.

(z) Piaſec. p. 280. Crac. & 235. Amſtel. Edit.

His talibus verbis rem iſtam abſolvit ad initium anni 1606. *Aliud antiquius talis commotionis propè ſimile* (nempe Seditioni Glianenſi A. 1537. contra Sigismundum I. excitata, de qua ſuperiùs loquebatur ſimile) *exemplum vulgò memoratur circa A.* 1380. *cum omnes Nobiles Regni à Raphaële Granovio (ex iſtius ſtirpe veniunt Sieniavii) incitati, hujus Teſſeræ Rokoſz comminatione (ſeu injecto metu novandarum rerum, & gravioribus querelis, ut Cromer. lib.* 13.) *Regem Ludovicum adegerunt, ut ipſorum libertates, quas in Ungaria perpetuo degens, per Adminiſtratores plerumque extraneos Regnum adminiſtrans, Præfecturas Arcium Ruſſiæ Ungaris committens, labefactare cæperat, confirmarit, & remiſſo tributo Raſtrali, Parolne nuncupato, auxerit; alienigenas*

*præ-*

*præſertim Vladiſlaum Oppolienſem Ducem ab adminiſtratione Regni amoverit, ac in ea ſuffecerit Proceres Polonos Zavisſium de Kurozwaki Epiſcopum Cracovienſem, Dobeſlaum ejus Fratrem Caſtellanum Cracovienſem ac Sendivoium de Subino Palatinum Calisſienſem Præfectum Cracovienſ. abrogaritque decretum ſuum de avellendis à Polonia, & adjungendis Ungariæ Regno Provinciis Haliciæ & Sanociæ.*

At ex ipſo horum verborum contextu colligitur, Piaſecium ex auditu non ex fide alicujus Hiſtorici id referre. Cromerus enim quem citat, nec de ſeditione Glinianenſi, nec de Granovio jota unum aut apicem habet, ac proinde citationem illam, vel à quopiam naſutulo, Piaſeciano autographo ſub prælum revocando adſcriptam fuiſſe, vel quod probabilius, eam ad alias categorias, nempe quoad amotionem Vladislai Oppolienſis à Gubernio, conſtitutique Triumviratus, non verò quoad ſeditionem Nobilitatis referri debere autumaverim.

Dixi ex ipſo verborum contextu colligi poſſe Piaſecium ex ſolo auditu ſcribere. Primo enim Locus Gliniany, quem Rokoſzio A. 1537 attribuit, rem ſummè perplexam reddit, cum enim cæteri omnes Hiſtorici, nempe Bielski in utroque opere, (a) Strykowski, (b) Kojalowicz, (c) (d) Neugebauer & Paſtorius (e) ſeditionis illius cætus inter ſe agitatos fuiſſe *Leopoli* dicant, imo Bielski in utroque opere & Neugebauer addant. *In quodam Leopolienſi cænobio* ſolus Piaſecki ait id factum fuiſſe ultra Leopolim prope oppidum Gliniany. Vel igitur ita intelligendum eſt, caſtra ipſa Equeſtris Ordinis ultra Leopolim prope oppidum Gliniany conſtitiſſe, conſilia verò Anteſignanorum in Leopolienſi Cæmeterio ſuburbano agi-

(a) Bielski Chron. Swiat. 423. Idem Chron. Pol. 577.
(b) p. 758.
(c) II. 400.
(d) p. 541.
(e) in flev. 204.

agitata fuiſſe, vel certè dicendum reſtat vicinitate loci quæ inter Leopolim & Gliniany (deprehenditur 4. enim milliaribus tantum inter ſe diſtant) deluſum fuiſſe Piaſecium, locumque prioris ſeditionis anni 1381. prætenſæ, poſteriori A. 1537 attribuiſſe, vel denique cum Piaſecius illo præciſè tempore hæc ſcriberet, nempe initio A. 1606, quo Poloni, Rokoſz contra Sigismundum III. Authore Zebrzydovio Palatino Cracovienſi moliebantur, & Rokoſſiani illam fabellam de ſeditione Ludoviciana ad Majorem Nobilitatis concitationem, ſub ſpecie authentici ex priſcis MSSti monumentis excerpti, à quopiam maleſano ſcripturario confutam in vulgus ſpargerent, facile mihi perſvadeo, eum absque ulteriori veritatis indagatione iſtam narratiunculam, falſam quidem quoad Rokoſz & Granovium, parte tamen veri conſtantem quoad Vladislaum Oppolienſem, Triumviratum ipſi ſuffectum & incorporationem Ruſſiæ Dominio Hungariæ, data opportuna iſtius poſtremi Rokoſſii actu ferventis occaſione, Chronico ſuo inſeruiſſe. Cum verò illa narratione Seditionis Ludovicianæ, locus fors nullus expreſſus eſſet, itidem conjicio aliquem defunctoriè eruditum Glinianios ex hoc loco Piaſecii male intellecto, vel de induſtria malè uſurpato ſubſtituiſſe, ac ita priori ſeditioni prætenſæ proprium feciſſe illum ipſum locum, quem revera poſteriori Piaſecius attribuerat.

Cæterùm non tantùm hic locus Glinianenſis, ſed & A. 1380. quoad omnes circumſtantias cum Hiſtoricis collatus, centonem hunc Piaſecii, veri falſique infibulatione variegatum falſitatis arguit. Neque enim ullus Raphaël Granovius, nec tum nec unquam Mareſchalli Regni aut Ducis Exercituum

munus

munus habeat, nec Tributum Raſtrale (vulgò Poradlne dictum) tum remittebatur, utpote quod jam A. 1374. (docente id ſupra inſerto Ludovici diplomate) remiſſum erat, nec Vladislaus Oppolienſis tum à gubernio Regni amovebatur, utpote qui jam A. 1378. amotus erat (teſte Dlugoſſo) (f) nec Triumviratus tum formabatur, utpote qui nonniſi A. ſubſequenti 1381. in Comitiis Budenſibus mediis quadrageſimæ coactis efformaturus erat (teſte eodem Dlugoſſo) (g).

(f) X. 39.

(g) pag. 48.

Sed demus adhuc vera eſſe omnino omnia, quæ hoc loco Piaſecius recenſet, hinc tamen illa feralis funeſtaque decollatorum Procerum tragædia inferri nullatenus poterit, ſed ſaltim Popularis aliquis motus, ſtatim in prima herba, abrogatione Decreti de avellendis Provinciis Ruſſiæ, totaliter ſopitus.

Sed jam ad Joachimum Paſtorium me converto. Is Epitomen Cromeriani Chronici fecit, idque ſub titulo. *Flori Polonici* vulgavit Lugduni Batavorum apud Hegerum 1641. quam editionem ſecutæ ſunt quatuor aliæ, nempe Gedanenſis Andreæ Hunefeldii, ejusdem anni (quam Hoppius in Schediasmate de Scriptoribus Hiſtoriæ Polonæ (h) ejusque Commentatores prætermiſerê) tum Lugduno Batava 1642. Amſtelodamenſis 1664, ac Gedanenſis poſtrema & optima 1669. In harum editionum prima pag. 105. ſecunda p. 119. tertia p. 119. ne jota quidem de hac ſeditione Glinianenſi reperitur, ſed his paucis verbis res omnis abſolvitur: *Cæterum peragranti victoriis Ruſſiam Ludovico arriſit terræ illius genius, & feraciſſima frugum ubertas: Unde Ungariæ eam adjicere agitans, Ungaros ei præfectos imponit, & ut omnia iſthic ſibi obnoxia haberet*

(h) Hoppi Schediaſ. Dlugoſſo præfixum p. 19.

*Archiepiſcopatum Haliciæ (quam olim tenuerant Hungari) inſtituit. Qui poſtea Leopolim translatus penes eam urbem hodieque manet. Non effugit tum Ludovicus ſuſpicax Populi ſilentium & voces quorundam liberiores; quas aſperavit Vladiſlaus Opolienſium Princeps, qui creatus à Rege Ruſſiæ gubernator, Ducis Ruſſorum titulum ſumpſerat.*

Jam verò in penultima editione pag. 144. ac in poſtrema p. 125. hic Paragraphus taliter auctus & immutatus eſt.

*Cæterum peragranti victoriis &c. &c.* (ut ſupra usque ad illa verba *quorundam liberiores.*) *Imo & univerſum Ordinem Equeſtrem in Comitiis tumultu quodam, Duce Granovio, adverſus præſens regimen inſurrexiſſe, ac Senatorum nonnullorum, quos libertati publica indignatio ſubito mactaverat, cadaveribus Regem terruiſſe, fama tenet, quanquam nullâ annalium, quos viderim fide nixa. Id equidem omnium autorum conſenſu certum eſt, ingens tum odium Polonorum in Ungaros fuiſſe: & aſperavit id Vladiſlaus Opolienſium Princeps, qui creatus à Rege Ruſſiæ Gubernator, Ducis Ruſſorum titulum ſumpſerat.*

Hunc locum Paſtorii tranſcribit hic D. Koludzki, ſed quam bona fide quivis perpendat & an illi fidendum videat, in his enim verbis hærens, *cadaveribus Regem terruiſſe fama tenet*, fingit ſe longius ire brevitatis cauſa nolle, veritus autem defacto, veritatis adæquatam ad hoc argumentum ſolutionem in ſequentibus immediatè his verbis, *fama tenet, quanquam nulla Annalium, quos viderim fide nixa.* Sic adverſæ ſen-

tentiæ Fautoribus incumbit, ut antequam ex Authore aliquo nos premant, eundem accuratius prius examinent, atque adjectas iſtas fallacis & fucoſæ mercis notas obſervent, ne qui alios falſitatis arguunt, accuſandi ſint potius ipſi.

Hic igitur tale argumentum propono. Cuicunque narrationi præfixæ hæ dubiæ mercis ſunt notæ, *ajunt*, *fama eſt ex ore vulgi ſaltem accepimus*, ea pro certa ſeu approbata nec accipi poteſt, nec debet. At talis eſt narratio de ſeditione Glinianenſi ſub Ludovico, Ergo &c. Majorem approbant omnes, qui vel legitimam hiſtoriam condiderunt, vel ingenium famæ ſatis perſpectum habent, ut Herodotus (i) fabulam Depſyllis delaturus, *ea quæ Afri perhibeant ſe memorare* ait, & alibi, (k) toti ſuæ Hiſtoriæ patrocinium parans, *ego* (inquit) *quæ fando cognovi, exponere oratione mea debeo omnia, credere verò vera eſſe omnia non debeo.* Ita etiam Ariſtoteles, *Salamandra UT AJUNT ignem inambulans per eum extingvit.* Sed jam animadverto quid dicturi ſunt Adverſarii notoriam illam fabulam à pluribus commiſcue comprobatam, non poſſe errare. Non quidem ignoramus vocem Ciceronis (m) eſſe, *fama temere non naſcitur quin ſubſit aliquid*, interim tamen hic monemus, ut diligenter ad animum revocetur, fuiſſe tum ubi primam lucem hæc fabula vidit, *tempora portentiloquiorum* ut loquitur Iſaac Cauſabonus, (n) nihil igitur periculoſius, quam vel tantillum dare temporum iſtorum famæ. Qui enim hoc ipſum fecerunt, veritatis fecerunt naufragium, cui errori cum Sapientes etiam ſint expoſiti, mirum non eſt vulgus obnoxium eſſe, quod ſecundum Tacitum (o) *vacuum curis &*

(i) Herod. in Melpom.

(k) In Polymia

(l) Ariſt. lib. 5. annimal, c. 19

(m) Cic. l. 2. ad Hæren. c. 8.

(n) Prolog. in Exerc. Baron.

(o) l. 4. Ann. c. 80.

(p) l. 1. Ep. 1. *& ſine falſi verique diſcrimine*, ab Horatio (p) verò, *bellua multorum capitum* vocatur, ſi vera comperitur illa uſitata paremia *Qui vidit, ille ſcit, qui verò audivit tantum, ille plane ignorat.* Quàm ridiculè igitur ſibi Koludzkius perſvadet, nobis ex hoc loco Paſtorii in prioribus editionibus prætermiſſo (id quod ſuſpicionem de facti veritate arguit) Paſtorii nempe, qui ſe ſola fama, nulla verò Annalium fide niti ſponte fatetur, veritatem hujus Hiſtoriæ evidenter demonſtrari poſſe.

Is alterum adhuc teſtem ſiſtit Veſpaſianum Kochowski, (q) qui Climacteris I. A. 1683. editi Lib. 6. habet, *memoratur præterea antiquior Polonorum Conventus An. Ch. 1380. Rokoſz nuncupatus. Unde poſtea conciliabula ejusmodi vocari conſvevere. Rem perennis traditio ita refert. Ludovicus Lois Caſimiri M. Sororinus, æquè Polonis ac Hungaris Rex, ſed qui hæreditario dominatui æquior, Provincias Haliciæ ac Pocutiæ Polonis detractas volebat, ut Hungariæ adderet. Se quo placita jure firmaret, indictis Albæ Regali Comitiis, pleroſque è Senatu Polonico illuc evocarat, extorquenda apud ſe facilius credens, quæ à libera gente in Polonia impetrare nequiret. Nec fefellit ſpes Regem, aſſenſis qui evocati erant, ac jactura Patriæ deſiderio Principis gratificantibus. Aſt fervente ſub initium libertate, male autoribus avulſio Provinciarum ceſſit, Lubranſcio, ac Granovio acerrimis integritatis Patriæ vindicibus. Fidem transactæ rei faciunt veteres manuſcripti, in archivis multorum aſſervati, quæ tamen à Noſtratibus Chronographis neſcio quam ob rem transmiſſa ſilentio.* Hæc poſtrema. *Quæ à noſtratibus Chronographis neſcio quam ob rem transmiſſa ſilentio*, priora

(q) T. 373.

labe-

labefactare videntur verba. Neſcio igitur quam ob rem, hæc narratio à ſingulis Noſtratibus Chronographis in tabulas non relata, à Piaſecio, Paſtorio & Kochowſcio, verò ulla ſe Annalium fide quæ id transmiſerint ſilentio, niti non diffitentibus, allata potius quam aſſerta, tantam apud Koludzcium inveniat fidem, maximè cùm in his allegatis eorum teſtimoniis nullum loci Glinianenſis & Gologorienſis Procerum decollatorum ſupplicii & ſexcentarum aliarum circumſtantiarum fiat mentio, quas ſaltem utpote nullo firmatas teſtimonio debuiſſet Koludzki *hanc ob rem transmiſiſſe ſilentio.*

Sunt & alii recentiſſimi Scriptores, qui hujus narratiunculæ in ſuis Scriptis meminere, ſed cum illorum lucubrationes, Koludzciani operis editione prima Poſnanienſi 1707. (quam ſubſecutæ ſunt binæ aliæ, Poſnanienſis 1726. & Supraslenſis 1727.) ſint poſteriores, nullus dubito, ipſos ex Koludzciano Commentario id haudſiſſe, adeoque nihil exinde roboris & authoritatis pro aſſerenda hac narratione, afferri deſumique poſſe, nemo inficias ibit.

Ex horum numero primus adeſt Anonymus (is verò eſt *C. V. Godofredus Lengnich hodiernus Eloqu. & Poëſ. Prof. Pub. Gedanenſis*) qui in ſui operis periodici ab A. 1718. germanico idiomate edi cæpti, ſub titulo *Polniſche Biblioteck, Tom. I. Sect.* 3. hæc habet: *Hergegen hat Ludwig geſucht die Reichs-Folge bey ſeiner Famille zu erhalten. Es fehlete ihm aber an Männlichen Erben, welche allein laut ſeiner Verſicherung das Recht zur Succeſſion haben ſolten. Dahero er die Polen ſo lange mit einer ſchweren Schatzung quælete, bis ſie verſprochen nach ſeinem Tode die jüngſte* (r) Poln. Bibl. I. 230.

*Tochter Hedwig vor rechtmäſſige Erbin zu erkennen. Dieſes Decret mag wol nachgehends ſeyn caſſiret worden, wie der König ſo übel regierte, daß der Adel einen Rokoß machen müſſen,* (q) *welcher ohne Zweiffel ihm den Gehorſam wurde auffgekündiget haben, wenn er nicht auff der allgemeinen Zuſammenkunfft bey Gliniany angelobet, alle Beſchwerden auffzuheben, wofür ihm auffs neue die Nobleſſe die Erb-Folge ſeiner Princeſſin beſtätiget hat.* (r)

(q) *Dieſes iſt der erſte Rokoß geweſen, welchen der Adel gemacht hatt. Er fällt ein ins Jahr* 1381. *Ich wundere mich billig, daß die älteren Hiſtorici als Dlugoſſus, Cromerus, Bielſki und andere ſelbigen gäntzlich verſchwiegen haben. Piaſecius gedencket deſſelben beyläuffig in ſeinem Chronico ad An.* 1606. *Zwar allegirt er Cromerum L. XIII. allein ich habe ihn bisher vergeblich nachgeſchlagen. Kochowſki hat daher Recht, wenn er Climact. I. p.* 373. *geſchrieben: Fidem transactæ rei faciunt veteres manuſcripti, in archivis multorum aſſervati, quæ tamen à noſtratibus Chronographis, neſcio quam ob rem transmiſſa ſilentio. Mir ſelbſt iſt ein dergleichen M. S. in die Hände gerahten, welches ich zur andern Zeit vielleicht ediren möchte vielleicht auch nicht.*

(r) *Ich weiß wol, daß dieſes die gemeinen Schreiber gantz anders erzehlen, es hatt mir dieſesmahl gefallen dem angeführten M. S. zu folgen.*

(s) pag 133. *Tomo* verò *II. Sect.* 7. *in Sciagraphia* (s) ſeu adumbratâ Hiſtoriæ Polonicæ deſcriptione, tales de hac materia propoſuit ſibi articulos, olim diſcutiendos

207.

207. *Granowſki Reichs-Marſchall conferiret mit dem Ertz-Biſchoff von Gneſen, und veranlaſſet eine Zuſammenkunfft zu Lencic.*

208. *Was hieſelbſt beſchloſſen worden.*

209. *Erſter Rokoß zu Gliniany.*

210. *Umſtändlicher Unterricht was dieſes Wort bedeute.*

211. *Unrichtigkeit der gedruckten* Schreiber, *die von dem allgemeinen Verein des Adels nichts melden.*

212. *Davon aber eine umſtändliche Erzehlung im M. S. verhanden.*

213. *Der Kœnig findet ſich in Gliniany ein, verſpricht eine beſſere Regierung, nebſt der Feſthaltung aller Privilegien.*

214. *Wovor der Adel auffs neue die Erb-Folge der Princeſſin beſtätiget.*

Proximè ſuccedit Cl. Vir *David Braun*, Conſiliarius Brandenburgicus, qui in opuſculo Anno 1722. edito. (t) *Jurium Regni Poloniæ fundamentalium Tractatu primo de Comitiis* hæc habet ad A. 1537. *hic Rokoß ſecundus numeratur, ab illo cruento ſub Ludovico A.* 1380. *ad Gliniany de quo* Piaſecius *ad A.* 1606. *p.* 280. Kochowſki *Climactere I. Lib.* 6. *& alii,* (nullus alius ſi Paſtorium his adjungas deprehenditur,) *ſed tantum ex traditione absque autore antiquo referunt.*

(t) Braun de Comit. p. 41.

Tertius eſt A. R. P. *Adamus Naramowſki Soc. JESU,* qui in *Faciei rerum Sarmaticarum* A. 1724. editæ *Tom. I.* (u) hanc Hiſtoriam ex Koludzcio, quem citat innuere videtur

(u) Naram. Facies. I. 242.

his

his verbis: *Premit corda qui ſcindit Regna.* *Cum Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex* Provinciam *Haliciæ avellere vellet à* Regno, *& Hungariæ conjungere*, Poloni *concidiſſe Rempublicam, nil ſpei reliquum clamitabant contra nonnullos ſuos, qui id Regi ſive ſvadebant, ſive annuebant, totum Regnum in jurata evocarunt fœdera.* Sed *cum Ludovicus à præmeditatis deſtitit cœptis, imo multa Privilegia Regno indidit; fœdus Nobilium diſſolutum eſt. Koludz. in vit. Ludov.*

Annumerandus Anonymus eſt quiſpiam ſub titulo *Equitis Poloni* latitans in opuſculo (w) A. 1725. edito, talemque titulum, *Europa in Leſzczyniorum Domo incluſa*, præferente, ubi hæc leguntur: *Pro Libertate publica murum ſe* Sieniavii *opponebant. Unus ex iis Granovius, Regni Mareſchallus ſub Ludovico* Poloniæ *& Hungariæ Rege pro libertate ſe murum oppoſuit, ut Leges concalcatæ Regi imperarent, non Rex Legibus.*

(w) Europ. Leſzcz. p. 94.

Neque enim hic recenſere dignum judicavî, Nicolaum Chwalkowium (x) ad cujus operis (quod titulum *Pamiętnik, albo* Kronika *Pruſkich Miſtrzow* præfert) calcem iſthæc Hiſtoria, Regiminis Ludovici legitur de verbo ad verbum ex Koludzcio deſcripta. Id quod plene arguit, eam Chwalkowio tribui nullo modo poſſe, utpote quæ à Typographo Poſnanienſi (qui utrumque hoc opus Koludzcii quidem A. 1707. Chwalkowii verò A. 1712. ediderat) privata authoritate ejus operi addita ſit, inſulſo prorſus & inficeto modo, cum nulla inter Hiſtoriam Magiſtrorum Pruſſiæ, & Regimen Ludovici intercedat connexio, ut nihil hic de toto hoc opuſculo in-

(x) Pamięt. l. 2.

compto & indigeſto dicam de quo rectè judicâſſe videtur, præmemoratus D. Braun (y) in *Scriptorum Poloniæ catalogo ac judicio*, dum id vocat, *puram putam rapſodiam ac farturam multis mendis ſcatentem, nec ex Chwalkowii connectaneis, ac potius ex Murinii Chronico Pruſſiæ Polonicè edito monſtroſa confuſione depromptam.* (y) Script. Pol. cath. p. 188.

Præter allegata teſtimonia habet Koludzki & alia, æque futilia defenſionis argumenta, quæ jam nobis ſunt ventilanda & excutienda. Initio quidam Andream Lubranſcium Epiſcopum, in Concilio Conſtantienſi inclareſcentem, fuiſſe illo tempore Epiſcopum ſtatuere conatur, allegatione authoritatis Paprocii (cujus tamen locum non exprimit, is verò eſt in altero ejus opere Herb. p. 279.) Sed ad hanc objectionem ſeu allegationem futilem ac ridiculam, jam ſufficienter ſuperius repoſtum eſt, quo B. L. remittimus.

Deinde dicit: *Granoviorum familiam, tum in tanto flore extitiſſe, ut Rex Vladiſlaus Jagello, mortua ſua altera Uxore Anna Hungarica, Granovii (Filii Capitanei Generalis Majoris Poloniæ Vincentii) Viduam, de domo Pileciam, in Conſortem aſſumere haud dubitaverit*, in quibus paucis verbis quadrupliter Koludzcium erraſſe animadverto.

Primò dum Granoviorum familiam tum in flore extitiſſe, ex Granovio Eliſabethæ Pileciæ (deinde Reginæ) Sponſo arguere videtur, cum tamen is, tam paucarum opum fuiſſe dicatur à Dlugoſſo, (z) ut præcisè eam ob cauſam, Eliſabethæ affines de Domo Bipennium) (Starza) id matrimonium mo- (z) X. 381.

leſtè ferrènt, & Spytkonem (quod nomen *Rogatianum* denotat) de Melſztyn Palatinum Cracovienſem, qui illud, utpote Eliſabethæ cognatus & affinis, propter aliqualem armorum conformitatem (uterque enim Stemmatis Leliwa erat) pactus erat, improbarent. Ex quibus Dlugoſſi verbis colligitur, non A. 1381. claruiſſe & floruiſſe, ſed demum A. circiter 1400. cum Granovius ſplendidum hoc ſortitus eſſet conjugium, ejus familiam floreſcere & inclareſcere cæpiſſe.

Deinde alteram Regis Vladislai Jagellonis conſortem, perperam vocat *Hungaricam*, cum Germanam potius dicere debuiſſet, erat enim Filia Wilhelmi Comitis Ciliæ (alias Cileyenſis vulgò Ciley qui Comitatus eſt in Styria Carniolæ lymitrophus) ex Anna Caſimiri M. Regis Poloniæ filia itidem Anna progenita, ut habet Dlugoſſus (a) & Piſtorius (b) in Genealogicis explicationibus Regni Polonici. Cùm igitur neutro Parente Hungaro orta fuerit, Hungarica dici non poteſt.

(a) pag. 166
(b) Piſt. III. Corp. Script. Pol. p. 152.

Tertio Pillecciam illam vocat Viduam Granovii ſimpliciter, cum protinus addere debuiſſet, illum Granovium nomen Uxoris illico aſſumpſiſſe, & Pileccium nuncupari cæpiſſe, ejusq; filium Joannem à Rege Vladislao Jagellone ſuo Vitrico, expoſtulante Matre jam tum Regina, Comitem de Pilca creatum fuiſſe, ut habet *Paprocki*, (c) *Okolski*, (e) & *Bielski*. (c)

(c) Herb. 16. & 382.
(d) II. 72.
(e) p. 316.

Hac occaſione dicendum toto cælo aberrare Dlugoſſum (f) in illis verbis, *qui Vincentius ſe unum de Domo Leliwæ gerere cæpit*, & Cromerum (g) in iſtis, *Nupſit Vincentio Granovio gente Toporeo perque eam Granovius, ſeſe in Familiam Leliviorum* inſe-

(f) X. 381.
(g) p. 284. a.

*inſeruit*, quibus innuere videntur, Vincentium Granovium ſuum gentilium & primitivum Stemma *Topor* abjeciſſe & pro Stemmate Uxorio *Leliwa* commutaſſe, cum e contra dicere debuiſſent, eum retento ſuo proprio Stemmate Leliwa, nomen tantum immutaſſe, & pro Granovio Pilecium nuncupatum fuiſſe. Sed ad Koludzcium redeo.

Is non minus arguendus eſt, quod illum Granovium Pileciæ Sponſum audacter affirmet fuiſſe filium, Vincentii Granovii Generalis Majoris Poloniæ Capitanei, cum revera Pileccia non filio ejus ſed eidem ipſi Vincentio Generali locata fuerit. Equidem hujus Koludzciani erroris fontem, me reperiſſe autumaverim, in illo loco *Paprocii*, (h) ubi hæc leguntur: *Tenze Vincenty General Wielkiey Polſki*, *ALBO JEGO SYN*, *miał za ſobą Pilecką*, quibus verbis dubium injicitur Pater ne an Filius Pilecciam duxerit? quod erroneum dubium, majori errore truſit Okolski, (i) (eumque hic ſequitur Koludzki) cum hunc Vincentium Granovium Pilecciæ Sponſum vocat Caſtellanum Nakielſcenſem, dicitque fuiſſe filium Vincentii itidem Generalis Majoris Poloniæ Capitanei ex Tarnowſcia ſuſceptum, & ita unum eundemque Vincentium inſulsè reduplicat & bipartitur, licet ſi illi ex collatione *Cromeri* (k) ac *Bielſcii* (l) ſatis ſuperque patere potuiſſet hunc ipſum Raphaëlem Granovium, cui nupſerat Pileccia, cum jam antea eſſet Caſtellanus Nakielſcenſis Generalatum Majoris Poloniæ adeptum fuiſſe.

(h) Herb. 882

(i) II. 72.

(k) p. 284. ac 263.

(l) p. 316. ac 289.

Proſequitur ulterius & ait Koludzcius, familiam Sieniawſciorum derivaſſe *ab Uxoris* Vincentii Granovii Fratre *Demetrio*

*metrio* Granowio Caſtellano *Nakielſcenſi*, qui tres filios reliquit, *Raphaëlem*, *Joannem* & *Gregorium*, quorum duobus prioribus collatæ non contemnendæ ſortes in *Valachiæ* & Haliciæ Territoriis, *Raphaëlem* autem *Granovium* duxiſſe *Petri* Cebrowſcii filiam *Annam*, ex eaque genuiſſe Nicolaum, Alexandrum ac Procopium, Dapiferum *Leopolienſem*, Joannem verò Chodorowſciam, Hæredиſſam bonorum *Droſdovice* & *Kuropatnice* unde *Droſdowſcii* originem *trahunt*. In his Koludzcii verbis, duodecim tum ſphalmata typi (ut piè credo) tum allegata veritati repugnantia comperio.

1.) Hæc vox *Uxoris* immeritò eſt addita, Sieniawſcii enim originem trahunt, non ab Uxoris Vincentii Fratre, quem utpote hæredиſſa & de Domo ultima nullum habuit.

2.) Nec à *Demetrio* Vincentii Fratre, ſed demum ab ejus filio Raphaële, qui Sieniaviam hæredиſſam duxerat, & exinde primus *Sieniawski* dictus eſt.

3.) Is Demetrius non fuit Caſtellanus Nakelſcenſis (ut (m) II. p. 72. malè ex Okolſcio (m) Koludzki nec Paprocki id habet) ſed Vincentius ſimul cum Generalatu Majoris Poloniæ hunc Ma- (n) p. 263. a & 284. a giſtratum geſſit, prout patet ex Cromero (n) & Bielski. (o)

(o) 289. & 316. 4.) Demetrii tertius filius non *Gregorii* ſed *Georgii* nomine vocabatur ut habet Okolski. (p)

(p) II. 72.

5.) *Valachiæ* eſt error typi ob affinitatem vocum in Idiomate Polonico, *Lwowſkiey* & *Wołoſkey* commiſſus, vel (q) Herb. 383 certe Koludzcius verba Paprocii (q) & Okolſcii (r) hujus (r) II. 73. tenoris, *Nicolaus Sieniawski Palatinus Russiæ* & *Halicienſis Capita-*

*pitaneus, Dictor de Valachiis, eis in Dynaſtam Alexandrum fratrem firmavit*, malè intellexit.

(6) Raphaël Granowski, ſeu potius Sieniawski, non Cebrowsciam, ſed Sieniawſciam duxit, & hinc *Sieniawſcii* nomenclaturam obtinuit. Filius autem ejus Hieronymus Sieniawski matrimonium iniit cum Cebrowſcya, videatur Okolski. (s) (s) II. 72. & 73.

7. & 8.) *Petri* & *Annæ* nomina ſunt efficta. Paprocki (t) enim Cebrowscyæ non meminit, Okolski (u) verò Cebrowſcyam ſimpliciter vocat, nec ullum Patris aut Filiæ nomen adjicit. (t) Herb. 382. (u) II. q. 73.

9.) Procopius Sieniawski fuit Dapifer Ruſſiæ Generalis, non *Leopolienſis* particularis, nondum enim Territorium Leopolienſe ſuos peculiares tum obtinuit Officiales Terreſtres, ſed anno demum 1613. ut videre eſt in Conſtitutione hujus anni. (w) Et ita *Ruſſiæ* habet Paprocki (x) ac Okolski. (y) (w) Conſt. 1613, f. 20. tit. Ord. Official.

10. & 11.) *Drosdowice* & *Drosdowſcii* ſunt ſphalmata typi, ne dicam Koludzii debetque legi *Brzozdowice* & *Brzozdowski* & ita habet Paprocki (z) ac Okolski. (a) (x) Herb. 382 (y) II. p. 74. (z) Herb. 384. (a) II. 72.

12.) *Korupatnice* eſt vox perperam à Koludzcio addita nec apud Okolskium (b) legitur. Certe neſcio quomodo Chodorowſcia dici poſſit hæredisſa bonorum kuropatnice cum hodiedum extat familia kuropatniciorum ejusdem cum Dzierſciis in Palatinatu Lublinenſi Diviſionis & Stemmatis. Nieczua vulgariter dicti. Cæterum Okolſki hoc loco dicit Joannem, ab Uxore Chodorowska in Brzodowice hæredisſa Brzozdowſcium (b) Okol. Ibid.

dowſcium dictum ſterile matrimonium duxiſſe, jam verò R. P. Caſpar Nieſiecki (c) Tom. I. ſuæ Stemmatographiæ ait hunc Joannem, habuiſſe filium Georgium ex Anna Skotnika filii Samuelis, & filiæ Sebaſtiano Omiecinſcio nuptæ Patrem. Quæ ſunt contradictoria, atque adeò Okolſcium erraſſe crediderim, neque enim. R. P. Nieſieckium id absque aliqua authoritate allegaſſe autumo.

(c) Herb. 212.

Et hic jam terminus Auguſtini Koludzcii Apologiæ Hiſtoriæ Motus Glinianenſis, 17. erroribus abſolutæ. Nunc ſequitur ejusdem ulterior deſcriptio Regiminis Ludovici; quam feliciter eam abſolverit? videamus.

Sed prius in præmiſſam ab ipſo hic loci bombardæ inventionem inquiramus. Dicit autem, *hoc eodem anno* (ſupponit 1381.) *illud ferale tormenti genus omni admiratione execrationeque dignum, ad hominum perniciem excogitatum, ejusque primum omnium experimentum in Gallia circa obſidionem cujusdam Fortalicii Gallici factum fuiſſe.* Quam utramque cathegoriam tam inventionis quam primi uſus falſam eſſe deprehendo.

Et primum quod inventionem ſpectat licet eam Polidorus Vergilius de Inventoribus rerum (d) *Noventium inventum* vocet, & ignoto ignobilique cuidam Germano, quem plures nominatim vocant Bertholdum Nigrum (alias Schwartzc) Monachum Chymiſtam attribuat: ſunt tamen qui id inficiantur, ut Raphaël Voleterranus (e) & Cornelius Agrippa (f) voluntque id tormenti bellici genus, antiquioribus adhuc temporibus in uſu fuiſſe, id quod & recte quidem probant illis Virgilii (g) verſiculis

d) Verg. L. 2. c. 11. p. 109. & 124.

(e) Volat. in Comment. Urbanis

(f) Agrip. de Venit. ſcientiar. c. 100.

(g) l. 6 Æneid

Vidi

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pænas
Dum flatus Jovis & ſonitus imitatur Olympi.

Imo & in oris noſtris jam anno 1328. uſum ſclopetorum fuiſſe colligitur ex eo, quod Gediminus Dux Lithvaniæ Vladislai Jagellonis Avus pluresque Litvani hoc anno in oppugnatione Fridburgi & Begeri tali mortis genere interempti fuerint, prout id teſtatur Albertus Kojalowicz Hiſtoriæ Litv. Parte I. (h) his verbis: *multam ſtragem ſuccedentes vallo Litvani acceperunt, ab inſolenti hactenus armorum genere. Fiſtulas enim ferreas, quæ pulvere pyreo & globis onoratæ, conceptam intra pulverem flammam evomendo, magno ſimul impetu vehementique cum fragore globum in adverſos ejicerent:* jam tum ad Pruſſorum uſum perveniſſe, memorant noſtrates.

(h) Kojal. I. 279.

Et infra. *Hoc teli genere Gediminus trajectus, cum oppugnationem ferventius inſtruit ac urget inter ordines exanimatus concidit.*

Quæ ſcriptorum contradictoria placita, ut conciliari poſſint, crediderim, id intelligi debere de ſclopetis, bombardis Arcubus-Buſſis (vulgo Arquebuſes) omni fiſtularum ferrerarum genere, Polydorum vero de Machinis, ſive tormentis bellicis æreis (vulgo Canons, Działa) loqui debuiſſe, & proinde perperam, *bombardam*, *novitium inventum* vocaſſe, quem ejus errorem ſecuti ſunt noſtri ſcriptores Cromerus, (i) Herburtus, (k) Neugebauer, (l) Sarnicki (m) & Nicolaus Henlius (n) in Annalibus Sileſiæ, eosque ſequi videtur Koludzcius.

(i) Crom. lat. p. 230. b Idem Pol. 294.
(k) Herb. 288.
(l) p. 220.
(m) Sarnick p. 1151.
(n) in Sommersb. Script. Sileſ. II. 299

Utcunque

Utcunque ſit, primus harum bombardarum, ſeu tormentorum bellicorum uſus, non in Gallia, neque in expugnatione Gallici Caſtelli (ut Koludzki aſſerit) adhibitus eſt, ſed potius in Italia in prælio *Venetorum* contra Genuenſes, ad Foſſam Clodiam prout id Polydorus (o) is ipſe perhibet his verbis *hunc Inventorem tradunt, facta ferrea fiſtula & pulvere confecta Machinam reperiſſe, ac ejus uſum Venetis in illo bello primum oſtendiſſe, quod ad Foſſam Clodiam eſt cum Genuenſibus latum* A. 1380. Sed jam ad noviſſima Regiminis Ludovici tempora adeoque hujus diſſertationis coronidem pergo.

(o) Verg. p. 110.

Hæc ita deſcribit Koludzcius: *Ludovicus minus Polonis confidens, poſt illam transactionem Glinianenſem, ex Polonia recte in Hungariam perrexit, ubi integro anno, ſummo mærore ex irrito ſuorum intentorum eventu præconcepto, conſumebatur, quousque hac ex cauſa in morbum inciderit. Morti igitur ſe vicinum cernens, indixit Polonis Comitia Solii in Scepuſio, ultimis diebus Julii. Quos congregatos, Lachrymis ubertim manantibus allocutus, veniam pro malis à ſe unquam perpetratis ab iis deprecabatur, rogans inſuper, ut Generum ſuum Sigismundum Marchionem Brandeburgicum ſibi in Regno ſufficiant, maximè ex ratione quod Poloniæ contiguus ſit Marchionatus, quem ipſi Pater ſuus ab Ottone comparaverat. Hedvigam verò natu minorem filiam Ludovicus una cum Regno Hungariæ Wilhelmo Archiduci Auſtriæ ſibi deſponſavit. Enixè obteſtabatur Ludovicus Polonos in his Comitiis, ne poſt ejus obitum huic ſuæ voluntati refragarentur, id quod illi præſtito juramento appromiſerunt. Duobus abhinc menſibus expletis, obiit Ludovicus (portendente ejus mor-*

*mortem Cometa*) *poſtquam præfuiſſet Poloniæ* 12. *Hungariæ verò* 14: *annis, & annum ætatis* 56. *attigiſſet.*

Hæc Koludzcii manca & inſulſa relatio non minori quam illa ſuperior erratorum congerie ſcatet.

1.) Primo enim dum dicit *Ludovicum, parum Polonis fidentem, ſubito in Hungariam migraſſe*, innuere videtur eum amiſſis ſuis familiaribus Senatoribus de propria vita periclitatum fuiſſe, quo aſſerto tamen ſummâ afficit injuriâ Inclytam Gentem Polonam, Cui laudi datur, quod in ampliſſima ſua libertate & immunitate, ſponte ſua Benefactorum contagio Regibus adhærere conſveverint, & ſi quem vecordia transverſum egerit, pars tamen maxima Reges tueri ſolita ſit. (p) Unde Fredro (q) de ſymbolo illo antiquo Regum Poloniæ gloriatur, quod in ſinu cujusvis civis Rex ſecurè dormire poſſit.

(p) Braun. de Elect. Reg. Pol. p 27.

(q) Fragment. p. 257.

2.) Koludzki dicit *Ludovicum Glinianiis recta in Hungariam migraſſe*, licet ſi ſuperius dicatur ſpopondiſſe Ludovicum in illo Glinianenſi Conventu, ſe ex nunc Cracoviam, ut ibi integro menſe Juridicundo præeſſe valeat, abiturum. Certè non tam facile fidem Polonis datam ac ſtipulatam eludere, Ludovicus *utpote plagis melior* voluiſſet, maximè circa ipſa ſecuturæ correctionis primordia, ſi vera eſſet Glinianenſis Senatoricidii narratio.

3.) *A tempore motus Glinianenſis ad mortem* (quam morbus duobus menſibus præceſſiſſe dicitur) 14. Menſium tantum ſpatium hic à Koludzcio aſſignatur, cum defacto biennium totum & quod excurrit, effluxerit, ſi Kochowſcio ( quem

ipſe Koludzki ſuperius allegavit), in aſſignato Motui Glinianenſi A. 1380. fides danda, cum quo & Piaſecki hoc in paſſu concordat, licet ſi in diverſis MSS. hujus fabuloſæ Narratiunculæ transſcriptis exemplaribus diverſi expreſſi legantur anni, in aliis enim anni 1371, in aliis 1373, in aliis verò 1383, quæ ſola diſcrepantia, totius falſitatem narrationis plane commonſtrat. Quod ſi igitur ratio temporis ineatur, à tertia poſt Feſtum S. Bartholomæi die nempe 26. Auguſti, 1680. qua illa Glinianenſis carnificina perpetrata dicitur, ad diem Ludovici emortualem nempe 14. Septembris 1382. biennium & 18 dies interceſſiſſe facile deprehendetur.

4.) *Mœrorem fuiſſe anſam & cauſam morbi ac denique mortis* Ludovici falſò perhibet Koludzcius, cum id nullus Hungaricorum Noſtratiumque Hiſtoricorum dicat, imò omnes concorditer aſſerant, eum ſenio gravatum, viribusque confectum, diem obiiſſe ſupremum.

5.) *Quod Comitia Solii (we Zwoleniu) in Scepuſienſi Ducatu indicta* attinet, ea nunquam extitiſſe, authoritate Priluſii fretus perhibet præmemoratus Cl. *Godofredus Lengnich* (r) *Polniſcher Bibliotheck Tom. II. faſcil* 7. in ſua Hiſtoriæ Polonæ Sciagraphia his verbis:

(r) Poln. Bibl. II, 144.

215. *Irthum Dlugoſſi und ſeiner Copiſten, ſo von einer Reichs-Verſammlung im Zipſer Lande reden, auff welchem der damahlige Marggraff von Brandenburg Sigmund, Ludwigs Eidam von den Pohlen zum* Könige *angenommen worden.*

216. *Gründliche Wiederlegung aus einem Urkund beym* Priluſio.

Alle-

Allegatum hic Priluſii documentum, nullus dubito, eſſe relatum ab ipſo pag. 7. Diploma Statuum Reipublicæ poſt obitum Regis Ludovici Confæderatorum, quod & in Volumine Legum recentiſſimæ Editionis noſtræ (s) reperitur) ubi hæc leguntur: *Sub Sacramento Fidei promittimus purè & ſincerè omnem fidelitatem & obedientiam filiæ Ser. olim Ludovici, quæ nobis pro hærede legitimo in Regnum Poloniæ ad manendum dabitur.* Ex quibus verbis tale videtur formare argumentum Cl. Lengnichius. Si poſt Ludovici obitum, Polonos adhuc latuit, quænam ipſius filia, Mariane, an Hedvigis? Eis ſit præficienda, quomodo dici poteſt Ludovicum Sigismundo (cui Mariam locaverat) Regnum Poloniæ pro dote conſignaſſe, id approbantibus imò fidelitatis juramento corroborantibus, Prælatis & Baronibus Poloniæ ad Comitia Zwolinenſia congregatis. Equidem huic Cl. D. Lengnichii opinioni, tuto me adhærere poſſe crediderim, niſi me authoritas Dlugoſſi, (t) Miechovitæ, (u) Cromeri, (w) & Bielski, (x) maximè verò ſcriptoris coætanei Anonymi Archid. Gneſn. de his Comitiis pro die S. Jacobi indictis expreſſe differentis, ſumme fluctuantem redderet: Nihilo ſecius quod Koludzcium attinet, vel hinc argui poteſt, eum prout ſuperius falſa pro veris, ita hic dubia pro certis nobis objicere velle.

(s) Vol. Leg. p. 59.
(t) Dlug. X. 67.
(u) Miech. p. 253
(w) Crom. lat. 232. b. Pol. 296.
(x) p. 256.
(y) in Somm. ſcript. Sileſ. II. 137.

6. & 7.) Nec minus dubium inducit, id quod Koludzki ulterius affert, *Ludovicum obortis lachrymis, congregatis in his Comitiis Proceres allocutum fuiſſe, veniamque ab iis petiiſſe.* Neque enim Ludovicum, qui apud Hungaros *Magni* cognomen ſortitus eſt, (prout id colligo ex ſerie Regum Hungariæ, quam

habet Anonymus Scriptor Soc. JESU in Rudimentis Hiſtori-
(z) Rudim. Hiſt. Opuſc. 4 p. 31. cis) (z) tam puſillanimem & mollem fuiſſe mihi perſvadere poſſum, ut ad ignava fæminarum præſidia confugere uſquam
Euripides. neceſſe habuerit, illius præcepti Euripidis, *Regi flere non licet, non bene Majeſtas & fletus cohærent*, plane immemor, vel tam fuiſſe vecordem in deprecanda venia, ut ei illa Manciniæ (Cardinalis Mazarini Neptis, ad Ludovicum XIV. M. Regem Galliæ adhuc impuberem, ſe amore depereuntem & nihilominus à Curia ex Nutu Cardinalis Ablegantem) verba, maſculam energiam ac emphaſim ſpirantia, *Rex es! me amore proſequeris! & ploras?* (*Vous etes Roy! Vous m'aimez! & vous pleurez?*) jure merito applicari potuerint. Koludzcium id
(a) p. 256. hauſiſſe ex Bielſcio (a) crediderim. Dlugoſſus tamen, Cromerus, Miechovita, maximè verò coætaneus Scriptor Ano-
(b) X. 67. nymus Archid. Gneſn. nihil tale habent, imò *Dlugoſſus* (b) expreſſis verbis dicit: *Ludovicum Polonos ad ſuſcipiendum Sigismundum pro Rege & ad præſtandum illi homagia impuliſſe, iis Re-*
(c) p. 232. b. *gis juſſa in ſingulis exequentibus.* Cromerus (c) vero ita habet: *In Sigismundi & Mariæ verba* Proceres *Polonos juſſu Ludovici ſta-*
(d) q. 253. *tim jurarunt.* Miechovita (d) ita: *Ludovicus* Prælatos *& Barones Poloniæ & ſuſcipiendum in Regnum Poloniæ Sigismundum & præſtandum ei homagium per juramentum fidelitatis compulit.*
(f) Sommerb. Script. Sil. II. 137. Anonymus denique Archid. Gneſn. (f) ſic: *Ludovicus Capitaneis Regni Poloniæ ad ſui præſentiam evocatis juſſit, ut Sigismundo Omagium fidelitatis præſtarent, quod & fecerunt.* Quæ voces, *impulit, compulit, juſſit, ſingulis juſſa exequentibus*, an

flentis,

flentis, veniam deprecantis, enixèque obteſtantis cenſeri queant, cuivis judicandum relinquo.

8.) Dubiam iterum pro re certa affert Koludzki, dum aſſerit audacter Hedwigim, Wilhelmo Archiduci Auſtriæ deſtinatam Uxorem una cum Regno Hungariæ fuiſſe, cum tamen Cromerus (g) expreſſe dicat, *nullatenus conſtitiſſe, eundem ne Sigismundum Hungaris & Polonis, an hunc quidem Polonis propter ſimilem cauſam atque comoditatem Regem dare Ludovicum voluiſſe.*

(g) p. 232. ſq.

9.) Hæc ſponſalia Wilhelmi cum Hedwige, tum (1381) facta fuiſſe innuere videtur, licet ſi jam anno 1375. ſubſecuta fuerint, ut habet Miechovita. (h)

(h) in Corp. Piſt. II. 176.

10.) His Comitiis non integros duos menſes (ut habet Koludzki) ſed ſesqui-menſem tantum ſupervixit Ludovicus, nempe à 27. Julii (nam pro Feſto S. Jacobi illa indicta fuerê) ad 14. Septemb. numerando.

11.) Ejus mortem non terribilis conſpectus Cometa tantum, ſed & alia creba prodigia, nempe terræ motus & locuſtarum examina præceſſerê, teſte Caſparo Ens. (i)

(i) p. 84.

12.) Hæc mors contigit non 14, at 40. Regiminis Ludovici in Hungaria anno, cæpit enim regnare 21. Julii 1342, vivere autem deſiit 1382. 14. Septemb. Et ita regnavit in Hungaria 40. annis 1. Menſe & 22. diebus, in Polonia autem pro quo Regno inauguratus eſt A. 1370. 17. Novembris. regnavit 11 annis 9. menſibus & 25 diebus, ac cum ſit natus anno 1326. 5. Martii produxit vitam ad 56. annos 6 menſes & 6. dies. (f)

(f) Piſtor. in tabb. geneal. in fine T. III. Script. Pol.

Cæte-

(g) Bielski 256.

(h) Hiſt. Hung p. 83.

Cæterum quod Koludzcius ex Bielſcio (g) addit Ludovicum ſæpiſſimè habitu mutato de Civitate in Civitatem perambulaſſe, id paulo diverſimode exhibet præmemoratus *Ens* (h) his verbis: *Ludovico aures pauperum quærelis ſemper patebant, quibus etiam nonnunquam (non ſæpiſſimè) ignotus (non mutato habitu) ſe immiſcuiſſe (non oſtiatim per vices & plateas obambulaſſe) dicitur*, ut quomodo ii à Conſiliariis & Aulicis tractarentur exploraret.

Denique dum Koludzcius coronidem Regimini Ludovici impoſiturus ait: *Sub ejus Regimine Nankierum Epiſcopum Vratiſlavienſem à Civibus in exilium abactum, Civitatemque totam in pœnam hujus peccati igne conſumptam fuiſſe*, dicit, multoties halucinatur. Nankierus enim antequam Ludovicus regnare cæpiſſet (A. 1370. 17. Novembris) obiit A. 1341. 10. Aprilis, prout teſtatur ejus Epitaphium, quod ex Pohlii Annalibus MSS. Vratislavienſibus exhibet Fridericus Lucas in Schleſiens Merckwürdigkeiten (i) hujus tenoris:

(i) Luc. Sleſ. p. 253.

Paulus Nankierus electus Cracovienſis
Occidit hic verus translatus Vratislavienſis
Mille trecentis annis primo quadrageno
In Feſto Paſchæ, Deus hunc ſuper æthera paſcé.
MCCCXLI.

Sed demus Koludzcium id intelligere voluiſſe de Regimine Ludovici non in Polonia ſed in Hungaria, at nec id dici poteſt. Nankierus enim A. 1341 demortuus, ne initià quidem Regiminis Ludovici in Hungaria attingere potuit, utpote qui anno demum ſequenti 1342. 21. Julii Hungariæ

præeſſe

præeſſe cæpit. Neque id incendium Vratislavienſe ſtatim poſt expulſionem Nankieri contigit, ſed ſequenti demum ab ejus obitu anno nempe 1342. 8. Maji.

Miechovita (k) à Koludzcio citatus refert: *Divinam plagam, indignam expulſionem Epiſcopi ac Cleri & cædem Joannis Inquiſitoris Vratiſlavienſis ulturam caſuali igne totam Civitatem abſumpſiſſe, viſumque fuiſſe, tempore incendii, à quadam Religioſa Fæmina apud S. Mauritium extra muros Vratiſlavienſes incluſa, Angelum contra Civitatem exertum geſtantem gladium, & ardentibus carbonibus Civitatem fergentem & incendentem.* Koludzcius verò niſi de ſuo ſuperaddidiſſet, nihil ſe dixiſſe ratus, adjecit Angelum illum, non jam in viſu, *per Speculum & in ænigmate* (l) uni Religioſæ fæminæ Divinitus monſtratum, ſed viſibiliter, palpabiliterque apparuiſſe, ignem vibraſſe, flammas jactaſſe, hominesque in ſubſidium advenientes velut alterum Cherubinum Paradyſi Cuſtodem *flammeo gladio atque verſatili* (m) aditum prohibuiſſe. Ita nempe in manu Koludzcii *nivis exiguus crevit eundo globus.* Equidem nec ipſius Miechovitæ narrationi omnimodam adhiberi debere fidem cenſuerim, cum hâc de re ne jota unum reperiam in vitis Epiſcoporum Vratislavienſium ſcriptis à noſtro Dlugoſſo ab alio Anonymo (o) tum & à Nicolao Henelio, (p) nec non in Jacobi Schickfuſii Chronico Sileſiæ, (q) Friderici Lucæ (r) citato opere & Starovolſcii (s) vitis Epiſcoporum Cracovienſium. Qui Henelius, (t) Schickfuſius (u) & Lucas (w) prior quidem in ſua Breslographia, alter in Chronico, tertius in memorabilibus Sileſiæ, dum ſyllabum Incendiorum

(k) p. 236. & in Corp. Piſt. II. 162.

(l) 1. Cor. 13. v. 12.

(m) Gen. 3. 24.

(n) Dlugoſſ. Sommerb. Script. Sileſ. II. 167.

(o) Ibid. 190

(p) ibid. III. 1 I

(q) Schickſ. III. 22.

(r) Sileſ. 252

(s) Crac. 80.

(t) Henel. Breslog. p. 26

(u) Chron. l. 4 p. 52

(w) Schleſ. p. 2201

dierum Vratiſlavienſicum pertexunt, eaque revocat ad annos 1200. 1241. 1272. 1276. 1342. 1352. 1361. 1367. De hoc anni 1342. incendio nihil tale commemorant, imo Schickfuſius hujus anni incendium ne quidem recenſet, Henelius verò hæc tantum jejunè dicit. A. 1342. *Flammis ſimiliter univerſa pene abſumta civitas.* Fridericus autem Luca ita 1341 *Ergriff eine unverſehene Feuers-Flamme die Stadt Breſslau, und verzehrte ihre beſte Gebäude.*

Hic jam tota abſolvitur Koludzcii, de Ludovico Rege Commentatio, reliquum eſt originem, Authorem, tempusque confictæ Glinianenſis fabellæ, quantum conjicere licet, paucis perſtringamus.

Si unquam aliqua contra Regem Ludovicum, pronuba belli ſeditio, â Polonis concertari debuit, certè A. 1378, cum injurium Regni, quæ ſe non violaturum adacto ſe ſacramento adſtrinxit, ludibrium, Vladislao Duci Opolienſi Polonos parece coegit, licet extitiſſent inter eos mactæ induſtriæ & probitatis Viri, quibus ab Eo id munus juſtius potuerit mandari. Neque enim illorum gravitati, nec Juribus Regni conveniens erat, ut à Duce à ſe non probato neque electo, ſed ex Regis arbitrio, Reſp. eorum deberet diſponi, & ſtatus eorum atque Regni conditio (Regibus etenim parere conſveti, imperio tradebantur Ducali) peſſum dari. Et Dlugoſſus cujus hic verba uſurpare neceſſe duco, id innuere videtur, dum fatetur, *Ludovicum, rebellionem, ad quam nonnullorum animos, novitati hujusmodi vehementer infenſos ſpectare didicerat, fuiſſe veritum. Nibil tale tamen moliuntur Barones, Proceres & Nobiles*

(*) X. p. 139.

tam

*tam Cracovienſis quam Majoris* Poloniæ *ore, ſeu conventu in Viſli-*
*cia Gnesna habito, ſiquidem Vladiſlai Regimini nullo pacto permiſſu-*
*ros concorditer diffiniunt, ſpectatæ tamen virtutis Viros, ad Ludovi-*
*cum in Hungariam transmittunt, qui orarent, ne eos Vladislaus*
*parere cogat, cum illius Regimen non eſſent quoquomodo paſſuri* ad-
dit hic ſtatim Dlugoſſus. *Ludovicum per patentes Literas his*
*ipſis* Polonorum *Legatis tributas, Vladislaum à Gubernatione Regni*
*revocaſſe, ejusque regimen reſcidiſſe.* Unde licet *traheretur ſtudia in*
*contraria vulgus, ſeditione furens,* ſtatim tamen ac Ludovicus
Vladislaum à gubernatione Regni amovit, averruncata omnis
offendiculi anſa, eum deferbuiſſe quis dubitet, & huc colli-
mare videntur illa Caſpari Ens verba: *Ludovicus motus* (y) pag. 83
*omnes ſine maximis Plebis incommodis in ipſo ſtatim initio extinxit.* Et
hinc igitur liquido conſtat Motus Glinianenſis Hiſtoriam eſſe
merè confictam & de induſtriâ excogitatam. Sed qua occa-
ſione? à quo? & quando? id certò affirmare haud poſſum,
conjicere tamen libebit, licebit.

Anno 1606. in Comitiis Varſavienſibus Ductore Nico-
lao Zebrzydowſcio Palatino Cracovienſi, (qui antea Mare-
ſchallatûs Regni Magiſtratum geſſit, tum & Ducis Exercituum
Campeſtris, uti apparet ex ejus Epitaphio apud Starovolſci-
um (z) & Okolſcium (a) obvio, hinc in eorum ſeriem in (z) Mon. Sarm. p. 654
*Corona* R. P. Nieſiecki, (b) ubi prætermiſſus eſt, poſt Ni- (a) II. 567
colaum Sieniawski referendus) ſeceſſu Ordinis Equeſtris facto (b) Kor. 276
propter unam vocem *Cos* vulgò *quidam* quod de ſuſpectis
Conciliis Regiis ſuo tempore ut vulgo jactaturus erat, (c) (c) Piaſecki 239.

Motus Civilis vulgo Rokoſz pro libertate contra Regem Stęzyciæ cæpit, qui acceſſione Litvanorum auctus, Comitiis ruptis, Lublinum translatus, ubi ex univerſis Provinciis Nobilitate ad Vexillum libertatis accurrente, in apertum civile bellum erupit, donec tandem in Comitiis itidem Varſavienſibus A. 1609. (poſtquam anno præterito Rokoſſiani ad Guzowo, cum Regiis ambiguo Marte pugnaſſent, & inde, pars maxima Authoribus cladis maledicens, domum dilapſa eſſet) Amneſtia & Compoſitio ſtatuum, a moroſo Rege perfecta fuerit. Videatur Piaſecki, (d) Lubienski (e) & Braun. (f)

(d) p. 234.
(e) de Moru. Civil. l. 4. p. 137.
(f) de Com. pag. 51.

Credibile eſt igitur hujus Motus Civilis tempore Zebrzydovii contrariam illis verbis Moyſis. *Si quis eſt Domini jungatur mihi* (g) vocem uſurpantis, ac tale claſſicum *ſiquis eſt non Domini jungatur mihi* perſonantis â ſe clarum quempiam (ne dicam ipſummet) hanc Hiſtoriolam de Induſtria conſcripſiſſe, eamque in vulgus ſparſiſſe, ad percellendos timore tremoreque partium Regiarum adhærentes, tum perciendos hoc audaciæ æſtro Nobilium animos, quo tanto ardentius & animoſius iſthoc exemplo Polonorum ad Claſſicum Granowij Mareſchalli itidem (ut perhibetur) & Ducis Exercituum Regni, multo agmine convolantium, ſe illi Patriam Libertatem tuituri adjungerent.

(g) Ex. 32. 26.

Nec mirum videri debet hanc fabellam, quam alias, vix *Judæus Apella crediddiſſet*, *tantam fidem inveniſſe in* (noſtra) *Iſraël*, innatum eſt enim cuivis genti ſtatu Populari Libertateque gaudenti, eas, quam lubentiſſimè aurâ benevolentiæ

captare

captarè, fideque dignas cenſere Hiſtorias, quæ Dominis ſuis (quorum Dominium ipſis grave videtur) eorumque primæ admiſſionis adminiſtris, adverſa injurioſa, ac dedecoroſa putantur, & ſi unquam hic certè, Commentariorum Hiſtoricorum ſcriptori applicandum venit Oveni illud Diſtichon.

Oven. Eprig. ad Sydney l. 2 n. 18. p. 179.

Verona Beneventanam raró itur ad Urbem
Eſto Placentinus tu Beneventus (h) eris.

(h) Ben-Venuto pertutto

Is eſt nempe liberrimo Populo incitus à natura gēnius, ut ſibi licitum putet Dominos ſuos reprehendere, eorumque geſta accuratius quam par eſt cenſorio ventilare cribro. Imo ſinguli ſibi perſvaſum habent, Co nſtitutivum ac Conſervativum Libertatis in eo ineſſe, ut Reges, â facie ſtatus Equeſtris contremiſcant, ac *Comitia Reip. Regum Martyria* (uſitara parœmia) dicantur, tum ut Regium favorem ambientes Curiales, *ſublati in altum caſu graviore ruant.* Semper enim *Seganismus* Populis exoſus habetur. Et hinc eſt, quod in tota Patriæ Hiſtoriæ *Odyſſea*, odii magis expers, imò acceptior, gratior, memorabilior, fidemque merentior, nullus Nobilitati Polonæ appareat eventus, quam illorum Motus Glinianenſis malorum, horriſonique XII. capite plexorum Senatorum ſupplicii *Ilias.* Tenella libertatis Polonæ, centoculo Argo oculatior Pupilla, nulla ſibi gratiora detegit balnea, nullas jucundiores Thermas, quam iſtud ſangvineum (cui innatare nimia geſtit voluptate) lavacrum, quo omnes attentati Deſpotiſmi ſordes, illuvies, tum exoſi Seganismi, ſeu Favoritiſmi (ſit venio verbo) pædores & ſqualores, facile

 eluere

eluere poſſe arbitratur. Immortalitatem ſpirantia, Boleslaorum Chrobry, Audacis, Criwouſti, Criſpi, Pudici, Vladislaorum, Hermanni, Sputatoris, Lasconogi, Cubitalis, Verbo dicam omnium Piaſtidarum ſingulorumque Jagellonicorum Regum geſta, Pacis Belliqne ſpecimina, victorias, triumphos, quibus Monarchiæ Polonæ limites, â Nigro ad Mare Balthicum, & â Balthico ad Oceanum protendebantur, ita, ut dum (i) *Jupiter arce ſua, totum ſpectaret in Orbem. Nil niſi (Sarmaticum) quod tueatur, haberet.* omnia iſta, candido Faſtis Hiſtoricis lapillo inſcripta legere, noſtrorum multis non tam eſt volupe, quam horrificum amputatorum cervicum duodenarium atro carbone notatum, ſub Glinianenſibus ſpectare papilionibus. Vitium id eſt ſæculi flagitiumque Libertatis, ut facilius ignorentur authentica Patriæ Hiſtoriæ Monumenta, quam talia ſuppoſititia apocrypha.

(i) Ovid. Faſt. I.

Apocrypham & Commentitiam Glinianenſem Hiſtoriam dixi, & rectè, nam pro tali jam à 68. annis tum cùm maximè in vulgus ſpargebatur habita paſſim fuit, prout patet ex quodam Scripto *Condæi* vivente *Joanne Caſimiro* eligendi, contra Georgium Lubomirski mareſchallum & Ducem Campeſtrem Regni evulgato, in folio ſub tali præfixo titulo. (k) *Reſpons Wolnego Slachcica na liſt Senatora iednego de Data* 20. *Decembris* 1664. ubi hæc formalia leguntur. *Tu muſze troche ſubſiſterey examinowâć z wm M. Panem originem Seymu Konſkiego, słuſznie tak denominowánego, boby bárdźiey ſzkápim głowom, niż rozumnym ludiom przystat, Koniec & naturam. Wydány ieſt dawno*

(k) Szlachica p. E. I.

*dawno ſcript Anonymo authore Rokoſz Gliniáńſki, kędy piſzą mimo fidem wſzyſtkich y Polſkich y Poſtronnych Hiſtorykow, że Kiedyś u Nas Kilku Senatorom w Kole Rycerskim ſzyie poucinawſzy ozle rády krolà Ludwiká in ordinem redegerunt Majores Noſtri, y wſzyſtkie factie è Republica ſuſtulerunt eo medio, ieden tylko boni publici reſpect in mentibus Civium ugruntowawſzy. Ten ſobie ták upodobał comment, że niemáſz y iednego ex Domeſticis iego, ktoremuby go żá præſent wielki ſub ſecreto nie communikował, ſwoie záś misly, acta wſzyſtkie ták accommodował ab ineunte ætate, aby prætextu libertatis exemplo quaſi owego Rokoſzu Majeſtatem wprzod tanquam præſidium libertatis, à potym y one ſáme zniosł & vacuam Rempublicam mogł invadere.*

Huc collimare videntur uſurpata a p. m. Andrea Zaluski Epiſcopo Varmienſe, S. R. J. Principe, Supremo Regni Cancellario, Patruo dulciſſima recordatione proſequendo, in ſermone ad Ordines Regni circa votivam de Spiritu Sancto miſſam ante ultimam electionem A. 1697. 15. May hæc verba (l).

(l) Zaluski Epiſt: famil: Tom: II., p: 37°

*Jam patriis moribus & firmatæ a tot ſæculis electionis Praxi contranitentes, in loco comitiis deſignato temporaneæ pro more Patrio ſtructuræ latera nudare animo proponunt, ut ſclopos in recte ſentientium de Republica Procerum pectora, velut in deſtinatum ſcopum colliment.* Producuntur *inter mutua colloquia Glinianenſes, nulla hiſtorica fide ſubnixæ, verum è privatis nullo veri falſive diſcrimine confectis ſcripturis excerptæ fabulæ, terrent undique accenſa in diſcordiarum fomite irarum fulgura, detonant verborum fulmina &c.*

Ex his allegatis teſtimoniis, luce meridiana clarius apparet Glinianenſem Hiſtoriam, jamſubinde pro commentitia fabella habitam fuiſſe, unde mentem meam ingens admiratio ſubit, quomodo poſtea (anno nempe 1705.) perfricta fronte, eam rurſus typis mandare, ac pro vera & certa aſſerere non dubitaverit Auguſtinus Koludzki in ſuo Vitarum Regum Poloniæ compendio, expunctis mala fide (quominus in dubium tota ſeries Hiſtoriæ vocari poſſet) quibusdam vocibus, phraſibus, imo integris periodis, in MSS. obviis, quæ circumſtantias minus credibiles exprimere videbantur, quarum hic elenchum ſiſto.

